PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. XLIX 1960 - FASC. III

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Quaesita minora:

I. *Episcopus titularis subiectus iurisdictioni Ordinarii loci* 255
II. *Iurisdictio valide delegata non subdito invito* 260
III. *Subreptio factum favorabile reticere* . . 262
IV. *Irregularitates ex delicto ut poenae vindicativae, A Szentirmai* 264

II - Monumenta

CONCILIUM, SYNODUS

Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 5 iun. 1960

I. *Indicationes introductoriae* 267
II. *Series Actorum chronologica* 268
III. *Classificatio Actorum*:
A. Auctores et qualificationes Actorum . . . 272
B. Fontes Actorum 273
C. Argumenta Actorum 273
IV. *Textus Actorum secundum argumenta ordinati*:
A. Concilium 273
B. Synodus 305

S.S.C.S. Officii

Decretum de S. Communionis distributione postmeridianis horis 321
Annotationes, F. Hürth S. I. 322

S. C. de Prop. Fide

Formula facultatum decennalium 341
Commentarius, L. Buijs S. I. 352

S C. de Seminariis et Stud. Universitatibus

Declaratio 405

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

QUAESITA MINORA

I.

Quaeritur: An Episcopus titularis subiectus sit iurisdictioni Ordinarii loci in quo ipse domicilium seu quasi-domicilium habeat?

Manifestum est domicilium vel quasi-domicilium ab Episcopis titularibus quoque ad normam c. 92 acquiri. At non liquet, an etiam c. 94, § 1 eisdem applicari valeat. Non desunt Doctores qui censeant promotum ad dignitatem episcopalem nihilominus clericum esse dioeceseos in qua domiciliatus sit aut Episcopo residentiali in iis saltem subditum esse quae ad obligationes beneficii officiique implendas referantur[1]. Quorum sententiae obstare videtur adagium: *antistes non habet antistitem.*

1) Praenotandum est primo varias esse species Episcoporum titularium. Omnium tamen commune est, quod sunt veri Episcopi dioecesium per fictionem iuris existentium, quamvis reapse iamdudum suppressarum et quoad Clerum fidelemque populum, si quos habeant, S. Congr. de Propaganda Fide immediate subiectarum.

a) Plerique Episcopi titulares a Sede Apostolica constituuntur adiutores Episcoporum residentialium ac in C. J. C. communiter nomine Coadiutorum (sensu lato) veniunt, quod tamen in iure novissimo Ecclesiarum Orien-

---

1 Ph. Hofmeister, *Von den Koadjutoren der Bischoefe und Aebte*, in: Archiv fuer katholisches Kirchenrecht, an. 112 (1932), pag. 369 sqq. — D. Bouix, *Tractatus canonicus de Episcopo*, voll. 2, Parisiis 1873.

talium (Litt. Apost. « Cleri sanctitati », c. 417, § 2, aliter ac in C. J. C. c. 350, § 3) non usurpatur.

aa) Coadiutor (sensu stricto) Episcopo residentiali prorsus inhabili datus est verus Ordinarius, ad quem ergo quaestio nostra minime referri potest (c. 351, § 2).

bb) Coadiutor (sensu stricto) Episcopo residentiali non inhabili datus, dummodo possit velitque, ad officium Vicarii Generalis assumendus est (c. 351, § 3), quo item fit Ordinarius, cui iure communi (c. 369) imponitur tantum, ut Episcopum residentialem de praecipuis dioeceseos negotiis certiorem reddat ac in obeundo munere modo menti et voluntati Episcopi dioecesani conformi procedat.

cc) De Coadiutore (sensu stricto) ac Episcopo Auxiliari qui ad officium Vicarii Generalis vocati non sunt, nihil in C. J. C. circa iurisdictionem invenies. Praecedunt utique Vicario Generali dignitate episcopali non insignito (c. 370, § 1), at ex praxi Curiae constat Episcopum titularem electione antiquiorem praecedere Episcopo titulari Vicario Generali electione ad dignitatem episcopalem iuniori, quod praescripto c. 106, n. 2° repugnaret, si Vicarius Generalis Episcopi residentialis auctoritate in Episcopum titularem fulciretur. Ex quo iam fors concludere licebit Episcopum titularem neque Episcopo residentiali subiectum esse, quum Vicarius Generalis sit « alter ego Episcopi (sc. residentialis) » et nihil aliud agat, quam quod Episcopus residentialis per ipsum agi velit. Sed de hoc fusius tractandum erit.

b) Praeter Coadiutores Auxiliaresque quandoque a Summo Pontifice nominantur Episcopi titulares honoris tantum gratia, quibus aequiperandi, sunt Episcopi Auxiliares expleto munere (c. 355, § 2), item Administratores Vicariique Apostolici cessante ipsorum officio, quo adepto simul Episcopi titulares renuntiati fuerant. Quoad istam Episcoporum titularium speciem distinguendi sunt casus secundum quod Episcopus titularis beneficium seu officium, ex. gr. praebendam canonicalem, in ditionibus Americae Septemtrionalis parochiam, in dioecesi possideat vel nullum beneficium nullumque officium habeat.

2) Praenotandum secundo diversas esse etiam iurisdictionis Episcopi residentialis species.

a) Iurisdictioni « fori interni » (sacramentalis) Ordinariorum locorum Episcopi titulares minime subduntur, confessarius enim quem sibi elegerint, iurisdictione a iure delegata in eos pollet ipsos tum a peccatis tum etiam censuris Ordinario reservatis absolvendi (c. 349, § 1, n. 1°, coll. cum c. 239, § 1, n. 2°).

b) Iurisdictio « fori externi » alia est potestas legislativa, alia iudicialis, alia administrativa. De his dicenda sunt quae sequuntur.

aa) Legibus dioecesanis, Episcopi titulares haud obligari censemus. Non sunt enim invitandi ad Synodum dioecesanam (c. 358, § 1). Nihil tamen impedit, quominus dicatur Episcopum titularem iure naturali, propter exemplum, teneri, ut leges particulares observet.

bb) Quoad potestatem Episcopi residentialis iudicialem de Episcopis titularibus expresse in C. J. C. dicitur eosdem a iurisdictione illorum in criminalibus omnino exemptos esse (1557, § 1, n. 3° et c. 2227, § 1) at in contentiosis coram Tribunali dioecesano ratione domicilii et quasi-domicilii conveniri posse (c. 1557, § 2, n. 1°). Non ideo tamen Episcopo residentiali munere Iudicis fungenti competeret Episcopum titularem sive in causam conventum, sive testimonium ad normam c. 1770, § 2, n. 1° coram ipso Tribunali reddentem poenis plectere, de quibus in iure processuali (ex. gr. c. 1743, § 3).

cc) Tertia species iurisdictionis Episcoporum residentialium est illa quam administrativam vocamus quaeque in voluntariam ac praeceptivam subdividi solet. De ista nobis agendum est in ordine ad Episcopos titulares.

Ex C. J. C. de eo tantum constat, quod sacellum privatum Episcoporum titularium visitationi Ordinarii loci, in quo id situm est, aliter ac sacellum Em.morum PP. Cardinalium, obnoxium est (c. 349, § 1, n. 1° coll. cum c. 239, § 1, n. 18°). Quum tamen Episcopus residentialis in peragenda visitatione « paterna forma » procedere dicatur (c. 345), negotiis iuridicis ad tramitem iuris definiendis,

nihil inde deduci potest, quasi c. cit. aliquam iurisdictionem in Episcopum titularem Ordinario loci tribueret.

Loci C. J. C. qui ad officium Episcoporum referuntur Coadiutorum et Auxiliarium minime videntur potestatem Episcopo residentiali concedere iurisdictionem administrativam seu praeceptivam in Episcopum sibimet adiutorem exercendi. Verba « commiserit » (c. 351, § 2), « requisitus » (c. id., § 4), « commissum » (c. 352), « permittente Coadiuto » (c. 354) consulto sane omittunt mentionem de potestate iurisdictionis Episcopi residentialis in Coadiutorem seu Auxiliarem. Magis de potestate dominativa Coadiuti in Coadiutorem agi videtur. Minime vero infitiamur Episcopo residentiali integrum esse, quod Coadiutorem negligentem S. Congregationi Consistoriali deferat, citra iurisdictionem tamen.

Difficilius est quaestionem de iurisdictione gratiosa Episcopi residentialis in Coadiutorem dirimere. Favores enim ampliari convenit, prout regulâ iuris monemur. Etiam praxis nos docet Episcopos titulares consensum Episcopi residentialis ad libros edendos exquirere, minime Sedem Apostolicam adeuntes. At haud idem dicendum est de collatione beneficiorum seu officiorum, quae per se ad iurisdictionem administrativo-gratiosam spectat. Episcopum titularem renuntiari posse Vicarium Generalem ipso iure cautum est (c. 351, § 3 coll. cum c. 370, § 2) et salvo meliore iudicio censemus idem valere circa officium Officialis (1573, § 1), cum eadem sit ratio legis, quamvis ambo officia uni eidemque committere non expediat. Sed Episcopus residentialis nonnisi indulto apostolico fretus beneficium capitulare vel aliud simile Coadiutori sibi dato conferre potest, prout ex praxi Curiae constat [2]. Bene-

---

[2] Ex. gr.:

SACRA CONGREGATIO CONCILII
Prot. N. 1334/41.

Beatissime Pater,

Cardinalis Archiepiscopus Strigonien. humillime exposuit:

Cum territorio quod in septentrione Hungariae per mille annos Regni Hungariae pars erat ac post viginti annorum occupa-

ficium ante electionem ad dignitatem episcopalem habitam Electus plerumque retinet quidem, at non ipso iure, sed vi dispensationis quae litterae apostolicae nominationis eidem concedere solent. Quantumvis ergo iurisdictio ista gratiosa favorabilibus adnumeranda sit, non ideo ea Episcopus residentialis in Episcopum titularem uti potest, etsi iste consentiat in beneficium sibi conferendum. Concessio iurisdictionis delegatae, utut munere addictae seu onerosae, a Doctoribus item gratiosis adnumeratur. Num possit Episcopus residentialis Episcopo titulari in suo territorio degenti committere ex. gr. munus visitatoris extra casum de quo in c. 343, § 1, sicubi nempe Vicarius Generalis dignitate episcopali gaudeat? Respondendum censemus adfirmative, dummodo gratiose fiat, seu consentiente Episcopo titulari, secluso praecepto eidem imposito.

Videre est fere eandem esse conditionem Episcopi titularis officio Vicarii Generalis non fungentis in dioe-

---

tionem a Republica Cecoslovaca ad Hungariam reversum eique incorporatum est, etiam *Abbatia tit. de Lekér* Hungariae et Archidioecesi Strigonien. restituta fuit. Abbatia haec titularis conspicua olim possidebat bona quae a pluribus iam saeculis simplex beneficium saeculare constituebant ..... Ipsum beneficium modo vacat ..... Porro mens oratoris est, ut beneficium hoc una cum Abbatis titulo Episcopus Auxiliaris pro tempore Principis Primatis et Archiepiscopi Strigonien. recipiat .....

Quibus humillime expositis Sanctitatem Vestram Orator flagitat, ut Archiepiscopis pro tempore Strigonien. ad quos collatio Abbatiae de Lekér de iure pertinet, pro Sua providentia benigne permittere dignetur, ut eandem cum titulo et bonis beneficialibus, suis pro tempore Episcopis Auxiliaribus conferre valeant, hi vero eandem durante Auxiliaris munere recipere et retinere possint ... Modo vero idem Orator humillime petit, ut eandem Abbatiam supradicta lege conferre valeat Ex.mo ac Rev.mo D.no Zoltáno Meszlényi, Episcopo tit. Sinopena, Auxiliari suo ...

Sacra Congregatio Concilii attentis expositis ab Em.mo Cardinali Archiepiscopo Strigonien., eidem benigne tribuit facultates iuxta preces pro Ex.mo D.no Zoltáno Meszlényi, tantum durante eiusdem munere Episcopi Auxiliaris Strigonien., et salvis iuribus, si quae sint, interesse habentium.

Datum Romae, die 2. augusti 1941.

cesi alicuius Episcopi residentialis, atque illam Episcopi residentialis in aliena dioecesi. Excipitur dumtaxat iurisdictio iudicialis Episcopi residentialis, cui Episcopus titularis secus ac alii residentiales Episcopi subditur in contentiosis. En responsum quaestioni propositae.

II.

Quaeritur: An iurisdictio delegata non subdito non petenti seu invito valide conferri valeat?

Indubitati iuris est illam iurisdictionis speciem, quam ordinariam appellamus, quia officio stabili adnexa est, ab Ordinario conferri posse clerico sibi subdito. Item iurisdictionem delegatam adnexam muneri utut non stabiliter constituto, quae illi est similis quam in iure romano iurisdictionem delegatam ab illa mandata distinctam nuncupamus. Non tam certum est econtra, an Ordinarius loci iurisdictionem delegatam ad explendum munus quoddam necessariam clerico extraneo non petenti imponere possit.

Cui quaestioni quidam Doctores adfirmative respondent opinantes Ordinarium loci vi cc. 94, § 1 et 127-128 cogere posse clericum alienae dioecesi incardinatum in suo tamen territorio domiciliatum ad subeundum munus bono communi Ecclesiae utile [3]. Videndum imprimis, an sententiae eorum adhaerendum sit. Quamvis in utroque C. J. C. loco mox citato sermo sit de « Ordinario proprio », non idem est Ordinarius proprius de quo in c. 94, § 1, atque ille de quo in cc. 127-128. Non est dubium, quin c. 94, § 1 de laicis aeque ac de clericis agat. Aliqua certe iurisdictio in clericum extra-dioecesanum competit Ordinario loci ratione domicilii (vel quasi-domicili) quod clericus in eius territorio habet, cuius potestatis tamen limi-

[3] C. HOFFMANN, *Die Rechtsverhaeltnisse eines ausserhalb seines Heimatbistums wohnenden Geistlichen*, in: Festschrift fuer Ed. Eichmann, Paderbornae, 1940, p. 419 sqq. - Ed. Eichmann. — N. MOERSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, vol. I, ed. VIII, Paderbornae 1953, pag. 259 sq.

tes cc. 125, 130 § 1, 131, 133 § 3 etc. circumscripta sunt. Ex pacto implicito omnem proprii Ordinarii potestatem in clericum alienae dioeceseos Ordinarius loci commorationis obtinet, si clericus extra-dioecesanus in dioecesi cui incardinatus non est beneficium vel officium suscepit. At textus C. J. C. certe non inconsulto distinguit inter Ordinarium loci eumque clerici proprium in cc. 124-144, alioquin difficile intellectu esset, cur c. 1333, § 2 « presbyteri aliique clerici » indiscriminatim obligarentur, ut parocho operam praestent in catechetica puerorum institutione. Ad mentem Legislatoris, quae sec. c. 18 in exegesi normarum iuris respicienda est, concludere fas est etiam ex Litt. Apost. « Cleri sanctitati » c. 87 : « Clericus qui extra propriam eparchiam, propter magisterium, studia vel aliam iustam causam, per tempus non breve commoraturus sit, loci Hierarcham sine mora adeat, eumque *ut suum Hierarcham, in iis, quae sui status obligationes respiciunt, habeat,* eiusque vigilantiae, auctoritati et correctioni subiectus maneat ». Hoc eo magis, quod canonibus 94, § 1 et 127-128 C. J. C. cc. 22, § 1 et 63-64 Litt. Apost. « Cleri sanctitati » ad verbum respondeant. Simile illo c. 87 iuris Orientalis praescriptum legitur in Decreto S. Congregationis Concilii 22. februarii 1927 dato, quod sane superfluum fuisset, si vi cc. citt. Ordinarius loci eadem prorsus iura in clericum extra-dioecesanum in suo territorio domiciliatum haberet, ac quae Episcopo competunt cuius dioecesi clericus ille incardinatus est.

Omnes fere Doctores consentiunt in eo, quod iurisdictio delegata acceptatione ex parte delegati indiget, etsi hoc in C. J. C. nullibi expresse dicatur. Quum clericus lege teneatur Ordinario dioeceseos cui incardinatus sit, oboedientiam exhibere, potestatem delegatam sibi ab illo commissam nequaquam recusare potest. Aliter dicendum de clerico non incardinato. Huic ergo non petenti Ordinarius loci neque iurisdictionem ad audiendas confessiones fidelium, neque illam muneri confessarii religiosarum (cfr. c. 524, § 1) adnexam valide conferre, neque aliam quamvis iurisdictionis speciem, licet nullum alicuius muneris vel

officii exercitium secum ferentem, concedere potest, quum concessio in hoc casu impositioni aequipararetur.

III.

Quaeritur: An subreptionis arguendus sit orator qui in supplici libello factum sibi favorabile reticeat, ut gratiam citius obtinere possit?

Primo aspectu videtur negative respondendum esse, quum regulâ iuris enuntietur tantum non esse prohibitum pluribus uti defensionibus, at minime pluribus defensionibus uti praeceptum esse. Neque facile dicas casum de quo in quaestione veri similitudine carere. En aliquot exempla.

1) Caius uxorem habens Caiam adulterium committit cum Titia simul mutuam sibi fidem dantes de matrimonio ineundo. Caia viam universae carnis ingressa dispensationem super impedimento criminis (c. 1075, n. 1°) petentes reticent matrimonium prius Caii, nunc morte Caiae solutum, ob aliquod caput probabiliter nullum fuisse. Dispensatio super impedimento enim multo citius obtineri potest, quam teste experientia declaratio nullitatis prioris matrimonii, quod non obstante morte alterius coniugis ad normam c. 1972 nullitatis accusari queat.

2) Caius viduus divinis cupit mancipari ministeriis, arcetur tamen irregularitate de qua in c. 984, n. 4°, quum alterum matrimonium mortua priori uxore inivisset. Ope Ordinarii loci supplicem porrigit libellum S. Congregationi Concilii, in quo dispensationem super impedimento seu irregularitate sibi concedi petit. Caius reticet tamen prius matrimonium ex capite ex. gr. simulationis, quae in foro externo deficientibus testibus probari haud possit, nullum fuisse, ne quaestione de validitate amborum connubiorum exorta negotium iusto plus differatur.

3) Caius consentiente coniuge Caia supplicem libellum Summo Pontifice offert ad obtinendam dispensationem « super rato ». Factum inconsummationis argumento phy-

sico probari potest ac neque causae iustae quae requiruntur ut Summus Pontifex potestate vicaria uti possit desiderantur. Orator alto tamen silentio premit matrimonium reapse invalidum esse ex capite vis ac metus uxori suae putativae incussi. Et hoc ideo, quia sperat dispensationem pontificiam citius obtineri posse, quam sententiam iudicialem pro nullitate matrimonii primae alteriusque instantiae.

Quod in omnibus hisce casibus oratores materialiter mentiuntur, obvium est. Quaestio refertur magis ad casum, quo oratores bona fide factum sibi quidem favorabile sed definitioni expeditae negotii obstans reticent, censentes ex. gr. divortio uti aiunt civili obtento, permissu aliquo Papae opus esse, ut aliud inire possint matrimonium in facie Ecclesiae.

Ad leges positivas quod adtinet, certum est Instructiones S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, sive illa de die 7. maii 1923 (N. 4), sive illa de die 15. augusti 1936 (Art. 206) prae oculis habeatur, implicite prohibere, ne dispensatio super matrimonio rato quidem tantum, at probabiliter etiam nullo a Summo Pontifice petatur. Neque enim Papa dispensare potest super vinculo quod reapse non existit, esset enim contradictio in terminis. Dispensatio per subreptionem impetrata non obstante c. 42, § 1 nullius esset momenti, quum rem impossibilem contineat. Consequenter matrimonium oratoris ob impedimentum vinculi in foro externo pro invalido habendum esset, donec nullitatem prioris probaverit (c. 1069, §§ 1-2).

In casibus sub 1) et 2) prolatis nulla legis dispositio invocari potest. Quum tamen irregularitas resp. impedimentum matrimoniale in casibus allegatis reapse non existant, quaestio de validitate rescripti praetermitti potest, neque in foro externo aliqua exurgit difficultas, quod ad exercitium ordinum resp. ad validitatem matrimonii adtinet, censetur enim irregularitatem resp. impedimentum dispensatione « ad cautelam » desivisse. In quo casu isti ab illo essentialiter differunt.

In omnibus autem casibus supra relatis locum obtinet poena de qua in c. 2361, dummodo constet oratores sibi conscios fuisse factum quoddam per se exprimendum reticere. Commune est enim oratorum huiusmodi, quod mentiuntur atque auctoritatibus ecclesiasticis iniuriam inferunt. In praxi prudentius est facti speciem sincere et veritati conformiter exponere simul rogando, ut negotium modo summario definiatur. Quum enim Summus Pontifex legibus ecclesiasticis minime legitur, potest ipse in casu sub 3) allegato attentis precibus normis probationum supersedere et « ad cautelam » dispensationem super vinculo matrimonii rati non consummati, si quod existat, concedere. Eodem prorsus modo in casibus sub 1) et 2) allegatis, concessa dispensatione super irregularitate resp. impedimento « ad cautelam ». Quo pacto oratores quum nullitatem rescripti tum poenam subreptoribus statutam effugient.

IV.

Quaeritur: An irregularitates ex delicto Can. 985 enumeratae poenis vindicativis latae sententiae adnumerandae sint?

Plerique auctores id negant easque notioni « obicis » (Can. 87) subsumendas esse autumantur. Contra quos, salvo debito honore, quaestioni adfirmative respondendum esse censemus.

Argumentum I: Iuris vigentis praescripta circa irregularitates ex delicto provenientes disciplinam Codice Iuris Canonici anteriorem ex integro referunt. At omnes auctores qui commentaria ad ius decretalium scripserunt irregularitates ex delicto poenis aequiperabant iisque adnumerabant. Inde sequitur, ad normam Can. 6, n. 2°, illas etiam nunc poenas easque vindicativas latae sententiae habendas esse.

Argumentum II: Si irregularitates ex delicto provenientes verae non essent poenae, haud merito Codice

Iuris Canonici enuntiaretur eas « ex delicto » ortum habere. Delicta enim sunt transgressiones legis cui poenalis sanctio saltem indeterminata addita sit (Can. 2195, §1). At ius vigens nullas, praeter ipsas irregularitates, poenas comminatur iis qui baptismum sibi ab acatholicis conferri siverunt (Can. 985, n. 2°), qui seipsos vel alios mutilaverunt (ibid., n. 5°), neque clericis artem medicam seu chirurgicam absque apostolico indulto exercentibus (ibid., n. 6°).

Argumentum III: Thesi nostrae minime obstat Can. 988 qui ignorantiâ irregularitatum ab eisdem minime excusari statuit. Irregularitates ex delicto sunt enim poenae vindicativae latae sententiae, prout diximus. Ab iis, sec. Can. 2229, § 3, ignorantia crassa non excusat neque affectata (ibid., § 1); alia non excusat a poenis vindicativis latae sententiae (ibid., § 3, n. 1°). Quod ergo Canone 988 relate ad irregularitates dicitur, congruit cum iis quae in iure poenali, Canonibus citatis, statuta sunt. Irregularitas ex delicto matrimonii attemptati proveniens dolum plenissimum praesupponit (ausi sunt: Can. 985, n. 3°), qui sec. Can. 2229, § 2 deest, sicubi ignorantia intercedit. At in casu neque irregularitas sustineri posset, nam ignorantiâ peccatum grave committi fundamento moralitatis repugnaret.

Irregularitates poenis vindicativis adnumerandas esse remur, quum haec sicut et illae nonnisi dispensatione tollantur. Sunt poenae latae sententiae, quum nulla iudicis sententia indigeant ad id, ut effectum sortiantur.

Corollarium I: Clericus in maioribus ordinibus constitutus, irregularitate ex delicto a suorum ordinum exercitio prohibitus actum ordinis nihilominus ponendo alteram irregularitatem, eam sec. Can. 985, n. 7°, incurrit (Can. 989).

Corollarium II: Can. 2232, § 1 locum obtinet etiam quoad irregularitates ex delicto. Hae ergo ex delicto non notorio (cfr. Can. 2197, nn. 2°-3°) provenientes in foro externo cum infamia observari non debent neque observantia earundem a quoquam exigi potest. Quod confir-

matur iis quae Can. 2350, § 2 statuuntur. Si enim de irregularitate supervenienti propter delictum suicidii agitur (Can. 985, n. 5°), suspensio, quae iuxta Can. 2350, § 2 infligenda est, nullius prorsus momenti esset, nisi citra casum delicti notorii delinquens ab observanda irregularitate in foro externo excusaretur. Suspensio enim ac irregularitas in eo conveniunt, quod exercitium potestatis ordinis prohibeant (cfr. Can. 2278, § 2 coll. cum Can. 2279, § 1 et Can. 968, § 2).

Corollarium III : Irregularitates ex delicto provenientes impuberes minime adficiunt. Hi enim a poenis latae sententiae vi Can. 2230 excusantur. Neque obstat Can. 986, qui impuberes haud quidem eximit, sed ad incurrendam irregularitatem ex delicto peccatum grave seu gravem imputabilitatem requirit. At sec. Can. 2204 imputabilitas minore aetate minuitur.

A. Szentirmai

MONUMENTA

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

II

Acta Sanctae Sedis 1 ian. - 5 iun. 1960

EDITIO ACTORUM SANCTAE SEDIS 25 IAN. - 31 DEC. 1959: Periodica 49 (1960) 67-141.

ABBREVIATIONES: AAS = Acta Apostolicae Sedis 52 (1960). OR = L'Osservatore Romano (1960). RDR = Rivista Diocesana di Roma 1 (1960) n. 1-2. Periodica = Periodica 49 (1960).

CONSPECTUS: I. Indicationes introductoriae p. 267. — II. Series Actorum Chronologica p. 268. — III. Classificatio Actorum: A. Auctores et Qualificationes Actorum p. 272; B. Fontes Actorum p. 273; C. Argumenta Actorum p. 273. — IV. Textus Actorum secundum argumenta ordinati: A. Concilium p. 273; B. Synodus p. 305.

I. - INDICATIONES INTRODUCTORIAE

Haec collectio IIa quoque secundum principia, in Periodica 67-70 enuntiata, edita est.

Die 5 iunii tempora praeconciliaria Concilii Vaticani IIi e statu antepraeparatorio progressa sunt ad statum praeparatorium.

Sollemnis celebratio Romanae Dioecesis Primae Synodi, per hebdomadam 24-31 ian., est eventus principalis periodi 1 ian. - 5 iun. Ubique notae sunt septem *Allocutiones* Summi Pontificis (nn. 61-64, 66-68), immo

iam in diversas linguas conversae. Numerus quartus AAS 177-319 habet titulum: *Prima Synodus Dioecesana a Summo Pontifice* Ioanne PP. XXIII *Romano Episcopo, a die XXIV ad XXXI diem Ianuarii mensis A. D. MCMLX cum Romano Clero in Urbe celebrata.* Novum periodicum *Rivista Diocesana di Roma; Ufficiale per gli Atti del Vicariato* in n. 1-2 (anni Ii, 1960) longe lateque de Synodo agit. Apud *Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano* prostant *Allocutionum* versiones anglica, gallica, germanica, hispana, italica et lusitana. Propterea, coacti penuria loci in periodico nostro, earum textum completum omisimus; ex eis autem excerpsimus partes, quae agunt de futuro Concilio Vaticano II, scilicet n. 61 (p. 274-277), n. 64 (p. 278), n. 68 (p. 278-279). Romana Synodi Statuta die 29 iunii 1960 edentur (vide n. 93, Periodica 302).

Ultimus quo uti potuimus fasciculus AAS est n. 6, die 2 iunii editus; documenta ergo posteriora coacti sumus desumere omnia ex OR.

II. - SERIES ACTORUM CHRONOLOGICA

1959

47a. - **29 nov.**: Ex *Epistula* Summi Pontificis ad Em.mos PP. DD. Iosephum S. R. E. Card. Frings, Archiepiscopum Coloniensem; Iosephum S. R. E. Card. Wendel, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem; Iulium S. R. E. Card. Doepfner, Episcopum Berolinensem; aliosque Exc.mos PP. DD. Germaniae Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Locorum Ordinarios: communibus officiosis litteris respondet: AAS 37; Periodica 273.

1960

54. - **3 ian.**: *Audientia* Laureatorum et Virorum ab Actione Catholica Italica: OR 4-5 ian.; Periodica 305.

55. - **9 ian.**: *Audientia* Patriciatus ac Nobilitatis Romanae: OR 11-12 ian.: Periodica 306.
56. - **10 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis Sodalibus Actionis Catholicae e Romana Dioecesi: AAS 87-88; RDR 87; Periodica 274.
57. - **16 ian.**: *Chirographum* « Postquam Sancti Spiritus » Summi Pontificis, quo prima Romanae Dioecesis Synodus celebranda indicitur: AAS 179; RDR 3; Periodica 306.
58. - **18 ian.**: *Intimatio* per cursores facienda domi dimisso exemplari: OR 19 ian.; RDR 12-13; Periodica 307.
59. - **18 ian.**: *Convocationes* Commissionis Synodalis ad Synodum Romanae Dioecesis: OR 20 ian.; RDR 13-15; Periodica 308.
60. - **23 ian.**: *Mandata et Nominationes* Synodales: OR 24 ian.; RDR 63-64; Periodica 311.
61. - **24 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in sollemni Romanae Synodi Inchoatione: AAS 180-200 (latine et italice); RDR 19-26 (italice); Periodica 274 et 313.
62. - **25 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in prima Synodi sessione: AAS 201-220 (latine et italice); RDR 28-34 (italice); Periodica 313.
63. - **26 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in secunda Synodi sessione: AAS 221-239 (latine et italice); RDR 35-41 (italice); Periodica 314.
64. - **27 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita in tertia Synodi sessione: AAS 240-261 (latine et italice); RDR 42-50 (italice); Periodica 278 et 314.
65. - **27 ian.**: *Audientia* Generalis: OR 29 ian.; Periodica 314.
66. - **28 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, in Ignatiano Templo habita ad sacrorum alumnos ex Romana Dioecesi vel Romae studiorum causa commorantes: AAS 262-277 (latine et italice); RDR 71-76 (italice); Periodica 314.
67. - **29 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, in Ignatiano

Templo habita ad sacras virgines in Urbe suam Ecclesiae adiutricem operam navantes: AAS 278-284 (italice); RDR 77-82 (italice); Periodica 314.

68. - **31 ian.**: *Allocutio* Summi Pontificis, habita ob peractam Synodi celebrationem: AAS 285-306 (latine et italice); RDR 51-59 (italice); Periodica 278 et 314.

69. - **31 ian.**: *Allocutio* Exc.mi P. D. Aloisii Traglia, sacras in Urbe vices gerentis consiliique Synodo apparandae praepositi praesidis, qua cleri ac populi Romani nomine Summo Pontifici grates egit: AAS 307-308 (italice); RDR 59-61 (italice); Periodica 315.

70. - **31 ian.**: *Responsio* Summi Pontificis: AAS 308-309 (italice); RDR 61-62 (italice); Periodica 316.

71. - **2 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis post praesentationem Candelarum Sacrarum in festo Purificationis B. M. V.: OR 3 febr.; Periodica 279.

72. - **3 febr.**: *Audientia* Generalis: OR 5 febr.; Periodica 280.

73. - **11 febr.**: E *Nuntio Televisifico* Summi Pontificis fidelibus Galliae in festo Apparitionis B. M. V. in Lapurdensi specu: OR 13 febr.; Periodica 280.

74. - **14 febr.**: *Audientia* moderationis centralis ab Actione Catholica Italica: OR 15-16 febr.; Periodica 281.

75. - **17 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, habita in Petriana Basilica, in sollemnibus exequiis pro anima Aloisii S. R. E. Cardinalis Stepinac, Archiepiscopi Zagrabiensis, antequam Summus Pontifex super tumulum Absolutionem faceret: AAS 92; Periodica 317.

76. - **17 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, habita, adstantibus Em.mis Patribus Cardinalibus multisque Praelatis et Athenaeorum Moderatoribus, quinquaginta expletis annis ex quo Pontificium Institutum Biblicum eius Decessor S. Pius X in Urbe erexit: AAS 157; Periodica 318.

77. - **17 febr.**: *Audientia* Parochorum civitatis Bononiensis: OR 21 febr.; Periodica 282.

78. - **19 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis ad Concionatores sacri temporis Quadragesimalis, ad Parochos et Vice-Parochos Romae, ad alumnos Seminariorum: OR 20 febr.; Periodica 318.

79. - **28 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis post promulgationem decretorum S. Congregationis Rituum de miraculis pro Canonizatione beati Joannis de Ribera et de virtutibus pro Beatificatione Ven. S. D. Francisci de Montmorency-Laval: OR 1 mart.; Periodica 282.

80. - **19 mart.**: *Audientia* occasione consecrationis episcopalis Exc.mi P. D. Conradi Bafile, Nuntii Apostolici in Germania: OR 21-22 mart.; Periodica 319.

81. - **28 mart.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: AAS 322-323, 3p4-325; Periodica 283.

82. - **10 apr.**: Ex *Homilia* Summi Pontificis, in patriarchali Basilica Ostiensi habita, die Dominica in Palmis: AAS 339-340; Periodica 284.

83. - **19 apr.**: *Audientia* consilii directivi Sodalitatis « Pax Christi » nuncupatae: OR 22 apr.; Periodica 284.

84. - **3 mai.**: *Audientia* Piae Societatis S. Pauli: OR 4 mai.; Periodica 285.

85. - **4 mai.**: *Audientia* Pontificii Collegii Russici: OR 5 mai.; Periodica 285.

86. - **6 mai.**: *Audientia* conventus « Conferenza dei Direttori e Amministratori dei Quotidiani Cattolici Italiani »: OR 7 mai.; Periodica 286.

87. - **7 mai.**: *Audientia* Consiliorum Superiorum Generalium Pontificiis Operibus Missionariis praepositorum: OR 11 mai.; Periodica 286.

88. - **18 mai.**: *Nuntius scripto datus* a Summo Pontifice ad Em.mum P. D. Bernardum S. R. E. Card. Alfrink, Archiepiscopum Ultraiectensem, propter ce-

lebrationem radiophonicam festi Pentecostes: OR 6-7 iun.; Periodica 288.

89. - **27 mai.**: *Audientia* post pium exercitium mensis Maii in aedibus Vaticanis: OR 27-28 mai.; Periodica 289.

90. - **30 mai.**: *Audientia* E.morum et R.morum D. D. Cardinalium post Consistorium Semipublicum: OR 30-31 mai.; Periodica 290.

91. - **31 mai.**: *Audientia* post pium exercitium mensis Maii in aedibus Vaticanis: OR 1 iun.; Periodica 291.

92. - **5 iun.**: *Litterae Apostolicae Motu Proprio* Summi Pontificis datae « Supremo Dei nutu »: Commissiones Concilio Vaticano Secundo apparando instituuntur: OR 5 iun.; Periodica 291.

93 - **5 iun.**: *Allocutio* Summi Pontificis ad Em.mos Patres, Exc.mos Praesules et christifideles, qui die Dominica Pentecostes in Basilica Vaticana interfuerunt sollemnibus Vesperis a Beatissimo Patre celebratis: OR 6-7 iun.; Periodica 295.

94 - **5 iun.**: *Electiones* Praesidum singularum Commissionum et Moderatoris Secretariatus ad unitatem christianorum assequendam: OR 6-7 iun.; Periodica 304.

III. - CLASSIFICATIO ACTORUM

A. - Auctores et Qualificationes Actorum

Joannes Papa XXIII: *Motu Proprio* 92; *Epistula* 47a; *Chirographum* 57; *Homilia* 82; *Allocutiones* 56 61-64 66-68 71 75 76 78 79 81 93; *Responsio* 70; *Nuntius Televisificus* 73; *Nuntius scripto datus* 88; *Audientiae* 54 55 65 72 74 77 80 83-87 89-91.

Sacra Paenitentiaria Apostolica (Officium de Indulgentiis) 39.

Exc.mus P. D. Aloisius Traglia: *Allocutio* 69.

SCRIPTORES diariorum: *Intimatio* 58; *Convocationes* 59; *Mandata et Nominationes* 60; *Electiones* 94.

B. - Fontes Actorum

Acta Apostolica Sedis 47a 49 56 57 61-64 66-70 75 76 81 82.
L'Osservatore Romano 54 55 58-60 65 71-74 77-80 83-94.
Rivista Diocesana di Roma 56-64 66-70.

Corrigenda in Periodica 74, 114 et 138: 49. - **14 dec.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis in Consistorio Secreto: AAS 10-11.

C. - Argumenta Actorum

Concilium, Synodus 56 61 64 68 71 72 74 77 79 81 82 84 87 93.
Concilium 47a 73 83 85 86 88-92 94.
Synodus 54 55 57-60 62 63 65-67 69 70 75 76 78 80.

IV. - TEXTUS ACTORUM SECUNDUM ARGUMENTA ORDINATI

A. - Concilium

47a. - **29 nov.**: *Ex Epistula* Summi Pontificis ad Em.mos PP. DD. Iosephum S. R. E. Card. Frings, Archiepiscopum Coloniensem; Iosephum S. R. E. Card. Wendel, Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem; Iulium S. R. E. Card. Doepfner, Episcopum Berolinensem; aliosque Exc.mos PP. DD. Germaniae Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Locorum Ordinarios: communibus officiosis litteris respondet: AAS 37.

Oecumenica Synodus, quam coactum iri enuntiavimus, vestra sine ulla haesitatione adsentientis animi studia assecuta est. Quin etiam placuit vobis tria deputare Consilia, ex Ecclesiastica

ista Hierarchia delecta, ut in universali Concilio expendenda et pertractanda provide et cogitate pro virili parte proponantur.

Fatemur vobis animo Nostro alte defixam insidere spem Oecumenicam Synodum non uno nomine ac valide universo orbi terrarum profuturam esse. Flectat caelestis gratia hominum voluntates, ut praeiudicatis opinionibus devictis, ea quae ibi decernentur non solum singulis, sed et nationibus, Christi lege saluberrima reparandis, emolumentum afferant.

56. - **10 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis Sodalibus Actionis Catholicae e Romana Dioecesi: AAS 87-88; RDR 87.

Lo spettacolo che i figli della Chiesa Cattolica si apprestano a dare, sia nella celebrazione sinodale Romana — che vuole offrirsi in umile esempio ed incoraggiamento alle diocesi del mondo intero — sia nella preparazione del più vasto avvenimento del Concilio Ecumenico, contiene in sè il segreto di una germinazione novella, di una attrattiva irresistibile.

61. - **24 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, habita in sollemni Romanae Synodi Inchoatione: AAS 180-184; RDR 19-22.

Inter salutaria instituta, quae decursu saeculorum ad christianam doctrinam christianosque mores promovendos propagandosque plurimum contulerunt, conventus illi profecto recensendi sunt, quos quidem, ad quaestiones una simul fraternoque more expendendas, ecclesiastici ordinis primores undique confluentes celebrare consueverant, praesidente ac moderante vel approbante Supremo Pastore, Apostolorum Principis successore, cui Divinus Redemptor regendam commisit Ecclesiam suam; conventus dicimus, in quibus coniunctis consiliis ac studiis res gravioris momenti pertractatae sunt, quae ad doctrinam et religiosam vitam pertinerent.

Coetus eiusmodi proprio ac definito nomine Concilia appellati sunt. Eorum prima vestigia in libro, qui « Actus Apostolorum » inscribitur, reperiuntur, quo Concilii Hierosolymitani, ut nuncupatur, memoria traditur, anno quinquagesimo post Christum natum celebrati.

Praestat ad eos animum convertere, qui conventui illi interfuerunt. Viri nempe menti nostrae occurrunt, qui maxima tunc auctoritate pollebant ac praeter ceteros excellebant in primaeva

illa Ecclesiae aetate et apostolicae navitatis exordiis: Petrus ipse in primis, qui caput et Ecclesiae fundamentum constitutus erat; Iacobus Minor, primus Hierosolymitanus Episcopus; ac praeterea Paulus et Barnabas, qui tantopere allaboraverunt in prima christianorum communitate Antiochiae condenda, quique illinc profecti atque de aliis etiam recens ortis Ecclesiis nuntios ferentes, felicissima christianae vitae primordia apud illas communitates testabantur; et « narrantes conversionem gentium ... gaudium magnum omnibus fratribus » afferebant (*Act.* 15,3).

Gravis sane momenti quaestio Apostolos atque seniores Hierosolymas adduxit, ad illum primum celebrandum conventum; siquidem iam omnibus prorsus, hebraeis atque ethnicis, aditus ad Ecclesiam patebat; quaerebatur igitur an circumcisio ceteraque Mosaicae Legis praescripta hebraeis adhuc servanda essent, et ethnicos quoque antiquis illis ritibus obstringi necesse esset, si re atque nomine christiani fieri vellent, quo quidem nomine Christi asseclae Antiochiae iam appellari solebant.

O memorandae illius celebrationis praeclarum spectaculum! « Cum magna conquisitio fieret » — maximae enim gravitatis causa agebatur — Petrus ad dicendum surrexit, celsissimi sui muneris partes statim apertis hisce verbis significans: « Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi » (*Act.* 15, 7-11). Tacuit Petrus ac silentium fecit multitudo omnis, dum Paulus et Barnabas referre pergebant, quae quantaque admiranda prorsus signa et prodigia Deus per eos inter ethnicas gentes patravisset.

Postquam siluerunt omnes, Iacobus, Hierosolymitanus Episcopus, ad dicendum aggressus est, atque a Petri verbis exorsus in eandem sententiam, quam audientes iam amplexi erant, orationem conclusit: nullum scilicet molestum onus ethnicis ad fidem conversis imponi posse, neque eos esse adigendos, ut per circumcisionem aut synagogam ad Ecclesiam transirent; verum satis esse, ut nonnulla tantum Mosaica praescripta ab eis servarentur, ad obsequium testandum, minime autem ad evangelicam doctrinam in posterum minuendam aut extenuandam.

Ita perspicua ratione ac fraterna animorum concordia sum-

mae gravitatis quaestio dirempta est, quae ad christifidelium fidem et libertatem spectabat.

Postquam Hierosolymitana Synodus habita est, per trium saeculorum decursum Ecclesia acerrimis cruentisque insectationibus vexabatur. Cum autem, Mediolanensi conventu celebrato, iam stabiliter constituta esset et quam maxime ubertate vitae vigeret, dubitationes, quaestiones, errores oriri coeperunt, qui eius doctrinam ac disciplinam in discrimen vocabant. Hinc opportunitas generales conventus convocandi, quibus quidem, instar Hierosolymitani Concilii, Petri successor praeesset ac moderaretur; seniores autem cum eo quaestiones excutiendo atque diiudicando adiutricem praestarent operam. Ex angustis Hierosolymitani et Antiocheni territorii finibus mox egressa, succrescens Ecclesia iam omnes Imperii Romani regiones attigerat, et Apostolorum vox iam usque ad ultimas terrae partes resonuerat. Difficultates autem, dubitationes, controversiae, pestiferus errorum afflatus, necnon perversae adulterationes tum Sacrarum Scripturarum tum Iesu Christi doctrinae antiquitus ab Ecclesia traditae, haec omnia sollemnium illorum conventuum celebrationem suaserunt, ut catholicae veritates in tutas formulas redigerentur, utque christiani apostolatus rationes ad temporum necessitates atque adiuncta, quae elabentibus saeculis sat diversa in Ecclesia fuerunt, opportune accommodarentur. Quamobrem inde a quarto saeculo, quo tempore maximi floruerunt Ss. Patres atque Ecclesiae Doctores, usque ad alteram partem saeculi decimi noni, quo hodierni errores sanae philosophiae ac religioni graviter infensi prolati sunt, mirabilis illa Oecumenicorum Conciliorum series continuata est: quae omnia — a primo nempe Nicaeam coacto, anno trecentesimo vicesimo quinto, usque ad Concilium Vaticanum, annis millesimo octingentesimo sexagesimo nono et septuagesimo celebratum — dum personam universae christianorum familiae, arctis devinctae vinculis apteque in omnibus suis partibus dispositae, gerebant, eo spectabant, ut, eadem Iesu Christi auctoritate, catholicae fidei integritas christianaeque disciplinae robur sarta tecta servarentur, vel ut maioris momenti de doctrina et moribus solverentur quaestiones, vel denique ut gravissimis rerum condicionibus, ad religionem atque etiam ad rem politicam et socialem pertinentibus, obviam iretur aut eaedem in Ecclesiae commodum converterentur.

Ex his viginti Conciliis, quinque sacra in hac vetusta atque inclita Lateranensi aede, cuius maiestate nunc tantopere circumfundimur, celebrata fuerunt; octo tamquam splendida lumina in Orientalis Ecclesiae fastis refulgent, quorum duo Nicaeam, quat-

tuor Constantinopolim, unum Ephesum, unum Calcedoniam coacta sunt; ad Occidentem autem quod spectat, Lugduni duo, unum Viennis, unum Constantiae, unum Florentiae habita sunt; omnium tamen fructibus copiosissimum Concilium exstitit Tridentinum, cuius beneficiis nostra quoque tempora perfruuntur, quodque Vaticanum denique elapso saeculo subsecutum est.

Venerabiles Fratres et dilecti filii, hi sunt sollemnes conventus, qui ad universam Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam pertinent. Dum in memoriam redigimus Oecumenica Concilia celebrata per saeculorum aetates, anhelus fit animus anxia expectatione novi magni universalis Concilii, quod ad superiorum numerum adicietur vicesimum primum; hoc, ut nostis, anno ante, in liturgico festo Conversionis Sancti Pauli Apostoli, peragendum nuntiavimus.

Attamen non Oecumenici Concilii causa, hoc vespere, ad Lateranum arcessiti estis.

Ex Ecclesiae annalibus constat praeter universalis naturae religiosa negotia, quae in Oecumenicis Conciliis pertractantur, alia minoris momenti collatis consiliis agitari. Etenim sollicitudo pastoralis muneris servandarum animarum, quod Iesus Christus Petro capiti et principi apostolatus concredidit et sub huius potestate Venerabilibus Episcopis in singulis Ecclesiis vel singulis portionibus sui ipsius gregis, prorsus suasit per saeculorum decursum ecclesiasticos cogi coetus minoris momenti quam Oecumenica Concilia sunt, pro varia forma et amplitudine regionum aut Dioecesium, quibus totidem religionis fulgoribus variae orbis terrarum nationes distinguuntur atque ornantur. Hi conventus et coetus complurium Dioecesium eiusdem regionis Concilia provincialia vocantur; si unius tantum Dioecesis sint, certo iuris canonici vocabulo Dioecesanae Synodi nuncupantur.

Sinite vobis Nos palam dicere id quod tantum paucis quibusdam et in occulto, quasi de religioso ageretur arcano, patefecimus. Cum humilibus vacaremus precibus, in intimo et simplici animo Nostro divinum audivimus incitamentum ineundi Oecumenicum Concilium; et cum hac de re submisse cum quodam locuti essemus, is commota voce ilico Nos affatus est: « Beatissime Pater, perquam salutare est consilium Oecumenici Concilii convocandi. At curnam non consulitur praescriptis Dioecesanae Synodi instantibus necessitatibus Romae, quae christiani orbis est caput et postremis hisce decenniis immensum crevit? Nam, recenti civium numero rationario inspecto, constat, cum anno millesimo nongentesimo tantum quadringenta milia incolarum fuissent, nunc vicies centena milia inhabitare ».

64. - **27 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, habita in tertia Synodi sessione: AAS 250; RDR 49.

Peculiari modo animadvertendum est, sub illius parabolae exitum, qua de bono Pastore agitur, Christum Iesum eadem iterare verba, Divinumque memorare Patrem, cuius luce suffusa mens nostra ad excelsa panditur et extollitur: « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis... Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam » (*Io.* 10, 15). Ac denique huic boni Pastoris imagini Ipse, pictoris instar, extremam admovens manum, haec addit: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor » (*ibid.* 10,16). Quali gaudio haec asseverantia verba Nos afficiunt, quibus futurus hic eventus clare affirmateque portenditur: « Vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus Pastor » (*ibid.*).

Ex hac pagina veluti caelestis luminis radii eliciuntur, qui populos nondum christiano nomini adiunctos attingunt, et quasi praenuntiare videntur primos lucis fulgores proxime celebrandi Oecumenici Concilii, quod arcana quadam et anxia exspectatione christianorum animos totius terrarum orbis vehementer iam permovet.

68. - **31 ian.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis, habita ob peractam Synodi celebrationem: AAS 294; RDR 57-58.

A Christo Iesu, Ecclesiae Conditore, id quoque rogamus et poscimus, ut post hanc Synodum, cui Nos ut Romanus Antistes praefuimus, Vicario suo etiam concedat Oecumenicum Concilium convocandum celebrandumque, quod Vaticanum secundum vocabitur atque generalibus Ecclesiae Synodis, quae a priscis aetatibus hucusque congregatae sunt, vicesimum primum adnumerabitur.

Iam nunc solacia expectatione maiora capimus, cum eius praeparationis gressus et progressus consideramus.

Filii dilectissimi, Dei virtute freti, fortes simus. Ne putetis hac in re praesentem Servum Servorum Dei, qui tuetur sacrum depositum hereditatis S. Petri, id nimis flagrantibus votis percupere, ut usque eo vivere possit, donec maximum eiusmodi inceptum perficiat et ad optatum exitum adducat. *Hilarem datorem diligit Deus* (II *Cor.* 9,7): hic quies et pax alte in eius pectus influunt.

In magnis ineundis rebus, voluisse sat est; atque in praeclaris negotiis, ad laudem sibi comparandam, sufficit contulisse nisus, ut ea ad rem adducantur. Futurum Oecumenicum Concilium peculiari patrocinio tuendum concredidimus tribus gloriosis Sanctis Caelitibus, quorum sepulcra huic Vaticanae Basilicae, christiani orbis templo nobilissimo, thesaurus insignis sunt, nempe S. Gregorio Nazianzeno et S. Ioanni Chrysostomo, Constantinopolitanis Patriarchis, et S. Gregorio Magno, Summo Pontifici, qui ortu, mente, animo Romanus fuit. Confidimus e caelesti aula, e sacris silentiis huius Basilicae cum Petro et Paulo Apostolis sociatum iri et ceteros Pontifices, quorum ossa in somno pacis hic quiescunt, publico Ecclesiae cultu honoratos, nempe Leones et Gregorios, S. Pium X, B. Innocentium XI et alios quorum fama christiano populo minus innotescit.

71. - **2 febr.**: Ex *Allocutione* Summi Pontificis post praesentationem Candelarum Sacrarum in festo Purificationis B. M. V.: OR 3 febr.

Ieri, nella festa liturgica di Sant'Ignazio vescovo di Antiochia, la prima *sedes Petri*, che Noi già visitammo il 12 e 13 settembre 1939, e dove i seguaci del Vangelo incominciarono a chiamarsi cristiani, il Nostro spirito, ancora intenerito dalla cerimonia di domenica a San Pietro, ricercò nelle effusioni della liturgia Eucaristica le parole e il palpito del ringraziamento a Dio per il Sinodo Romano felicemente conchiuso.

Stamane, appressandoCi all'altare della cappella domestica per la Messa mattutina, abbiamo fatto la consacrazione della Nostra umile esistenza al Concilio Ecumenico ed abbiamo deciso che questi ceri, così imponenti e artisticamente lavorati, prendano le vie del mondo, a cercare i santuari più celebri di tutte le nazioni, eretti dalla pietà popolare in onore di Gesù, di Maria, di Giuseppe e di Santi Apostoli e Confessori più distinti. E confidiamo che essi, in tali santuari, siano un invito ai fedeli di ogni stirpe e di ogni lingua ad unirsi al Papa nella preghiera, perchè la preparazione e lo svolgimento del futuro Concilio segnino come il passaggio dell'Angelo del Signore su tutte le anime, a risveglio di energie, a palpito di carità, ad elevazione verso la Chiesa santa, cattolica ed apostolica, quale Gesù la volle nella unità del gregge e del Pastore.

72. - **3 febr.**: *Audientia* Generalis: OR 5 febr.

Erano da pochi giorni terminate le riunioni del Sinodo, nel quale Parroci e Sacerdoti si sono riuniti per considerare i punti più importanti del loro ministero onde renderlo più efficace per il bene delle anime.

Non è mancato a tutte le Sessioni del Sinodo il Vescovo di Roma. Egli, appunto come tale, è Pastore della Chiesa Universale: perciò ha preso contatto con i suoi Sacerdoti ed ha loro parlato ricordando che tutto bisogna santificare: mente, cuore, lingua, nella lode del Signore, e nella carità...

Di San Giuseppe il Papa ricordava il grande Santuario nel Canadà: ad esso aveva destinato uno dei ceri più belli, perchè vi arda e ricordi come il Clero romano abbia dato esempio ai fedeli di quanto sia bello essere tutti uniti come fratelli; e raffiguri le implorazioni per le assistenze divine sul futuro Concilio. Sia questa solenne adunanza ecumenica un coefficiente straordinario e potente di pace.

Nel giorno 3 febbraio la Diocesi di Roma celebra la festa del B. Papa Gregorio X. Sotto il suo pontificato si ebbe il II Concilio Ecumenico di Lione, che il Beato Pontefice inaugurò. In esso si trattò con grande impegno della unità di tutti i cristiani e perciò si formularono voti e si concretarono proposte perchè i fratelli separati rientrassero nella Chiesa Cattolica, ove si avvera il voto e la preghiera di Gesù per un solo ovile sotto un unico Pastore.

ni 1953) conamina sint facta ad ulterius hos extendendos favores; in *Periodica* anni 1953 pag. 80-81 aliqau ex his conaminibus notata et reiecta sunt. Provocarunt quidam ad modo allegatum can. 846 § 2, simulque ad canonis 867 § 4, (sed magis ad eius partem primam, quam ad ultimam clausulam, eximentem ab obligatione partis primae). Sic fere ratiocinati sunt illi: ex novo iure introducto nulla iam est hora, (ante —, vel postmeridiana), qua saltem in aliquo territorio adiecto celebratio non sit concessa, immo qua non de facto fiat, (etsi non praecise in individuali loco intentae distributionis). Quapropter — (sic argumentati sunt) —, supposito, quod distributio Communionis fieri potest omni hora, qua Missa quit celebrari, (can. 867 § 4, comma primum); supposito dein quod « quilibet sacerdos pollet facultate ministrandi communionem etiam extra missam, ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae », (can. 846 § 2); supposito denique quod vi canonis 821 § 1 « Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem », et supposito simul, quod permissa Missa vespertina « initium ne habeat ante horam IV post meridiem » (Constitutio n. VI, Instructio n. 12; AAS., 1953, pag. 23; pag. 50) constare asseruerunt: concessam esse facultatem distribuendi s. communionem qualibet diei et vesperi hora, etiam extra missam, excepto tamen tempore noctis proprie dictae et excepto temporis spatio ab hora 13 usque ad horam 16; (tempus « vacans » vel « vacuum », quia hoc tempus sub nullo canone vel norma, quae — (attentis simul aliis normis) — *liget*, subsumi potest).

Hic argumentandi modus, anno 1953 ab aliquibus Canonistis et Moralistis acriter defensus, hodie derelictus est. Nihilominus, quia recens S. Officii Decretum Constitutionem et Instructionem quoad communionis vespertinae distributionem expresse nominat, pondus horum documentorum, (in quantum communionem vespertinam tangunt) in memoriam revocatum est, et sententia illa « derelicta » aliquo modo reviviscit. At, attento fine

novi S. Officii Decreti, prae oculis habere et manere oportet: nullum unquam ex istis Canonistis vel Moralistis contra hunc finem Decreti amplam distribuendi Sacram Communionem facultatem defendisse atque propagasse contra sanae rationis dictamen, in favorem meri « lubitus » fidelium, et multo minus in favorem forte alicuius feminei hysterismi; aut eos eam defendisse neglecto sive debito suae actionis moderamine sive necessario servando ordine in exercitio muneris sacerdotalis, quatenus scilicet pastores animarum frequentibus et inopportunis fidelium petitionibus omni hora recipiendae s. communionis contra *bonum commune fidelium* ita distrahantur, ut necessarium hodierni temporis apostolatum — (quod non minus horis antemeridianis quam postmeridianis exercendum est et exercetur) — congruo modo exercere nequeant, vel ut — (quod est vix minoris momenti) — amplum et multiplex in ipsa ecclesia parochiali, tempore antemeridiano peragendum servitium sacerdotale impossibile aut nimis difficile reddatur. Huiusmodi enim sanae rationis sobriique iudicii practici postulata — (quae in recenti S. Officii Decreto serio urgentur) — istis Canonistis et Moralistis fuerunt obvia et evidentia; ideo ab ipsis numquam, neque negata, neque addubitata neque impugnata fuerunt. Haec postulata sane talis indolis sunt, ut, — (etiamsi nullo positivo legitimae Auctoritatis Hierarchicae actu imponerentur) —, tum animarum pastoribus tum coetui fidelium sponte sua tamquam normam agendi se manifestent atque se ex se ipsis imponant regulariterque observentur.

6. *Secundum Documentum* Sanctae Sedis, quo in synopsi historica recentis Decreti S. Officii nominatur, est Monitum S. Officii d.d. 22 Martii 1955, (AAS., 1955, pag. 218). Monitum est « De missis vespertinis non excessive permittendis ». Duo in iis monentur, quae S. Officium, (afferendo hoc Monitum in textu recentis sui Decreti) prae oculis haberi et attendi vult in hoc Decreto legendo et ponderando; monetur: 1) facultatem quoad Missas vespertinas (et consequenter quoad Communiones vesper-

tinas) datam esse in fidelium « *bonum commune* », non in *privatorum commodum;* 2) CONSTITUTIONE vetari interpretationem, quae concessas facultates amplificet. Mentionem numeri 15 INSTRUCTIONIS vel ultimae clausulae § 4 canonis 867 MONITUM non facit. — Intrat hoc loco notio et natura « *boni communis* ». Haec notio primo aspectu apparet simplex et clara; diligenti autem examini se exhibet sat complexam et intricatam; praesertim si « bonum commune » consideratur in relatione et applicatione ad singulorum « bonum privatum ». Quandam huius rei lucem et orientationem praebet articulus, a W. Bertrams, S. I. publicatus in hoc folio periodico *Periodica*, 1958 (pag. 115-165, synopsis pag. 160-165) « De publicitate iuridica Statuum Perfectionis in Ecclesia ». — Punctum essentiale problematis est in hoc: Id quod ad bonum commune concedi et esse dicitur, saepe immediate est solummodo ad utilitatem privatam huius individui; sed si ad motivum attenditur, ex quo et propter quod, hic favor huic individuo conceditur, apparet: motivum non esse hoc individuale huius individui bonum, sed esse *bonum commune,* quod et quia in ministratione utilitatis privatae continetur et promovetur. Ita Communio eucharistica (tum hora matutina, tum hora vespertina) accipitur semper immediate in bonum privatum recipientis; communitas qua talis non habet animam spiritualem, intellectu et voluntate ornatam; ideo ipsa, in quantum est talis, Communionem vel ullum sacramentum recipere non valet. Sed aliud dici debet de *motivo* propter quod saepe in concretis adiunctis huic christifideli Sacramentum (S. Communio) ministretur; motivum saepe non est huius individualis christifidelis bonum individuale privatum — (nam si non esset insuper aliud motivum, in iis adiunctis Communio non administraretur) —, sed est *bonum commune,* quod in hac individuali ministratione: intenditur, continetur, tangitur et promovetur. Ad « bonum commune » enim spectat: ut propter bonum commune provideatur etiam singulis et individuis, ut tali-

bus. Ex hac « boni communis » visione secundum Documentum plenius et profundius ponderari potest.

7. Tertium Documentum Apostolicae Sedis, allegatum in Decreti initiali synopsi historica, est « Motu Proprio », « Sacram Communionem », d.d. 19 martii 1957 (AAS., 1957, pag. 177-178). Ex variis rebus, circa quas versatur Motu Proprio, Decretum nominat tantum *conditionem sine qua non* Ordinarii locorum quotidianam Missam vespertinam permittere possunt: « Ordinarii locorum, ... permittere possunt Missae celebrationem horis postmeridianis quotidie, si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet », (AAS., 1957, pag. 178). — De « bono communi », tamquam condicione permissionis, quae scitu digna et necessaria sunt, in his Annotationibus notata iam habentur; nihil addendum restat (cfr. supra n. 2, et n. 5 versus finem).

8. Pondus et momentum autem huius Motu Proprio non fuit nec est in hac attendenda ratione « boni communis », sed primo et primarie est in Constitutionis *indultis extensis*; solum secundarie, occasione huius Motu Proprio, a S. Officio est pressa perduratio numeri 15 Instructionis anni 1953, eo sensu limitantis et restringentis Communionem vespertinam ad Missam vespertinam ,ut Communio vespertina, vi huius n. 15, sit *exclusive* permissa in nexu cum vespertina Missa (cfr. supra in Annotationibus nn. 3 et 5).

Extensio Indultorum, exhibita in nn. 1. 2. 4., est revera indoles characteristica huius Motu Proprio. Cuius assertionis testis principalis est, tunc temporis Pro-Secretarius S. Officii, *Card. Ottaviani*:

1) Eius *articulus* « Uno storico Documento », publicatus in L'Osservatore Romano, Nr 69, 23 Martii 1957, (pag. 1, col. 6); idem articulus secundo publicatus seu reimpressus in L'Osservatore Romano, Nr 180, 4 Augusti 1957, (pag. 1, col. 5 et 6). Articulus effert et explicat: concessam « extensionem Indultorum » esse revera latam et amplam; iuvat afferre ipsum textum:

« Con l'Augusta disposizione del Santo Padre, ormai la Legge del digiuno eucaristico, adattata alle esigenze dei tempi, è resa semplice e accessibile alla mentalità anche dei bambini. Basta astenersi per tre ore dai cibi solidi e dalle bevande alcooliche, e per un'ora dalle bevande non alcooliche. Non si fa più questione nè di mattina, nè di sera, nè di distanza da percorrere per arrivare in Chiesa, nè di lavori gravosi, nè di ora tarda; non si fa più obbligo di consultare un confessore per vedere se si è nelle condizioni giuste per usufruire del permesso. Non si tratta più di concessione che riguardi questa o quella categoria di persone, ma di una legge che riguarda tutti i fedeli, in ogni luogo » (L'Osservatore Romano, Nr 69, 23 Martii 1957, pag. 1, col. 6).

2) Eius *libellus* « Il Digiuno Eucaristico » (Rivista « Studi cattolici », Anno I, Giugno 1957, N. 1). — Lex in Motu Proprio exhibita, ab E.mo Auctore in suo Articulo, ut modo dictum est, qualificatur: lex tam clara simplex limpida, ut vel ab infante capi queat. Qui attente legit eam huius Motu Proprio partem quae est de *extensis Indultis,* datae ab E.mo Auctore qualificationi non potest non consentire.

9. De perduratione n. 15 Instructionis anni 1953 — (quod attinet ad in eo stabilitam exclusivam vespertinae Communionis liceitatem in nexu cum vespertina Missa): quomodo quidam iam statim ab initio conati sint, hanc exclusivitatem eliminare, et quomodo asseruerint probari posse Communionem vespertinam etiam independenter a Missa esse licitam, dummodo omnes canones, qui ad rem facere possunt, cumulative sumantur: supra in allegatis nn. 3 et 5 Annotationum iam expositum est, addito: sententiam et argumentationem admitti non posse. Hos auctores in sua opinione et ratiocinio per Motu Proprio sese confortatos sensisse, facile intellegitur. Censuerunt: sicuti per hunc actum Pontificis alios limites et condiciones Constitutionis et Instructionis sublatos esse, ita sublatam esse etiam limitationem *exclusivae liceitatis* Communionis vespertinae in nexu cum vespertina Missa. Ad melius intellegendam horum auctorum mentalitatem iuvat iterum attente le-

gere modo allatum ex 'Articulo' textum E.mi Card. Ottaviani, in quo limites illorum Documentorum sublati singillatim enumerantur.

10. At hi errarunt in interpretanda voluntate Pontificis, qui, etsi voluit omnes alios illos limites tollere, noluit tollere limitationem ex n. 15 INSTRUCTIONIS anni 1953. De hac negativa voluntate Pontificis nulla anno 1957 habebatur declaratio ipsius Pontificis; nihilominus de eius mente *ex modo agendi S. Officii* sufficiens data erat certitudo.

1) *Articulus E.mi Card. Pro-Secretarii* d. d. 23 Martii 1957 inter ablatas limitationes, quas singillatim enumerat, non nominat limitationem n. 15 INSTRUCTIONIS. Ergo eam non censuit sublatam. Tamen hic Articulus memorat numerum 1 huius MOTU PROPRIO, qui est unicus locus, ubi sermo est de vespertinis *Missis* (de vespertina « *Communione* » in Motu Proprio siletur omnino, necessario autem vi huius n. 1 habenda « boni communis » ratio in permissione Missae vespertinae non inculcatur in INSTRUCTIONIS n. 15, sed n. 12). At iam ex sola deliberata omissa nominatione ablatae limitationis n. 15 INSTRUCTIONIS deduci potuit et debuit: secundum E.mum Card. Ottaviani limitationem n. 15 non esse sublatam; quod ipsi pro suo munere potuit et debuit esse notum. Clare in Articulo significavit: se velle omnes et singulas sublatas limitationes enumerare; iam vero inter has non nominavit limitationem n. 15; ergo secundum ipsum haec non fuit sublata.

(De hac argumentatione et illatione fuse actum est in Periodica, 1957, pag. 262-264, nn. 4-7; pag. 264-266, nn. 6-7).

11. 2) *Libellus* E.mi Card. Ottaviani,, « Il Digiuno Eucaristico », (Studi Cattolici, Anno 1. Giugno 1957, N. 1) haec habet:

« Dopo la promulgazione del Motu Proprio Sacram Communionem sono stati proposti al S. Offizio o agli Ordinari, o esaminati nelle riviste i seguenti quesiti:

1) Si può distribuire la S. Communione nelle ore vespertine, anche extra Missam, a norma del c. 867 § 4?

R) Non leggendosi una *clausola abrogativa* nel Motu Proprio nè essendo le nuove disposizioni, su questo punto, incompatibili con le precedenti, resta in vigore il disposto della Costituzione Apostolica Christus Dominus, n. 15: Fideles ad sacram Synaxim libere accedere possunt, infra dictam Missam (vespertinam) vel proxime ante et statim post ».

Il disposto infatti del c. 821 § 1 non è stato abrogato. Quindi non si può dire che ora *ex iure* la S. Messa può essere celebrata nelle ore vespertine.

Sono gli Ordinari, e soltanto quelli dei luoghi, esclusi i Vicari Generali non muniti di speciale mandato, che possono permettere la S. Messa nelle ore vespertine, e per il bene di una notevole parte dei fedeli.

D'altra parte lo spirito delle concessioni fatte, tende a favorire l'assistenza dei fedeli alla S. Messa; e questa finalità potrebbe essere frustrata se si distribuisse a qualunque ora e a qualunque richiesta la S. Comunione » (l. c. pag. 7-8).

Hic textus non indiget Commentario, et ex munere et nomine Auctoris habet vim et pondus probandi.

12. Accedit tertia ratio ad probandam ex auctoritate S. Officii perdurationem limitationis n. 15 Instructionis. Die 13 Aprilis 1957 ex mandato S. Officii intimata fuit Professoribus Universitatis Gregorianae in Urbe haec notitia:

« Cum in Urbe circumferantur laxiores sententiae de horis quibus S. Communio fidelibus distribuere licet, Rectori Universitatis auctoritative communicatum fuit, ut omnibus Professoribus notum redderet, iuxta mentem S. S. Congregationis S. Officii, nihil per MOTU PROPRIO « Sacram Communionem » d. d. 19 Martii 1957 hanc circa rem mutatum fuisse relate ad ea quae in INSTRUCTIONE eiusdem S. S. Congregationis d. d. 6 Januarii 1953 proponebantur.

Sic ergo cum agitur de tempore vespertino, Communio distribui potest tantum « *intra* Missam vel *proxime ante* vel *statim post* " (N. 15), A.A.S., 1953, p. 50.

Romae 13 Aprilis 1957.

13. Accedunt tandem ad has rationes Responsa et Decreta particularia, quae data sunt ad Quaesita particularia Ordinariorum de perstante vigore et obligatione numeri 15 INSTRUCTIONIS. Haec responsa, secundum modo allegatam expositionem E.mi Card. Ottaviani, non potuerunt nec possunt esse alia quam positiva, vel normam dicti numeri 15 non esse abrogatam.

Etiam recens Decretum S. Officii sufficienter innuit: S. Officium hunc n. 15 Instructionis habere non-exstinctam.

14. Recens S. Officii Decretum, de quo nunc agitur, conferens suam — (hucusque hic expositam) — initialem synopsim historicam, quam sane tenet adhuc vigentem, ea quae in hac synopsi continentur, sumit pro fundamento Responsi ad DUBIUM: « An adhuc in suo pleno vigore maneat ultima clausula dicti § 4 canonis 867 ita ut quaevis rationabilis causa sufficiat ad petendam et distribuendam s. Communionem horis vespertinis etiam independenter a Missae celebratione ». Non potest obici tali collationi obstare factum, quod in nullo ex tribus in hac synopsi historica allatis S. Sedis Documentis § 4 canonis 867 occurrat vel saltem implicite nominetur. Quod talis collatio et denotatio hucusque non est facta, non impedit, quominus nunc fiat.

15. A S. Officio in *Responsione ad* DUBIUM tria memorantur:

I) *actualis valor clausulae* « nisi aliud rationabilis causa suadeat »;

II) *novum* INDULTUM quod conceditur;

III) novi INDULTI *intentus effectus.*

ad I) *Actualis vigor clausulae*:

1) Clausula dicitur « non formaliter abrogata ». Formalis abrogatio est normae expunctio, facta ex directa expungendi voluntate, sive legislatoris, (qui est dominus legis), sive non-legislatoris, auctorisati a legislatore. At ex non enuntiata ' formali abrogatione ', nequit deduci

non enuntiata neque ' abrogatio aequipollens '; quae tandem aliquando habet eundem effectum, scl. respectiva norma non iam exsistit. — Non constat: in Decreto enuntiari totalem abrogationem, quamvis solummodo aequipollentem.

Sed aliqua norma cessare potest, non solum « ab extra » (per abrogationem), sed etiam « ab intra »; si e. gr. cessat eius « *utilitas* » (quae est maxime essentialis qualitas cuiusvis legis), aut si cessat « condicio », in norma (explicite vel implicite) implicata. Et haec ultima ratio valet proprie de clausula, quae distributionem S. Communionis facit dependere a « rationabili causa » recedendi a generali norma. Si ergo nulla iam (et quidem definitive) habetur « rationabilis causa », actum est de ipsa clausula. — Decretum S. Officii ad hanc rationem iam deficientis causae rationabilis provocat. Non quidem asserit: causam rationabilem omnino non iam haberi, sed eam — (attenta jejunii eucharistici mitigatione, iam concessa) — ' *rarius* ' et ' *difficilius* ' occurrere.

16. Conclusio: Attento n. 15 Instructionis, quem Decretum in pleno vigore esse supponit et quo vetatur distributio S. Communionis vespertinae sine nexu cum vespertina Missa, simul attento Decreti novo Indulto distributionis Communionis occasione « functionis sacrae » quae est sine nexu cum Missa, sufficienter rationabili desiderio fidelium satisfactum esse videtur, ita ut obiective nulla « ratio rationabilis » remaneat, cur recurratur ad illam « clausulam ultimam § 4 can. 867 ». Restat quidem unice casus, in quo quis christifidelis (vel aliqui christifideles) non obstante eorum serio conatu et voluntate accedendi ad vespertinam Missam vel functionem sacram, non valeat ob rationes obiectivas solidas et graves accedere nec ad Missam nec ad functionem sacram. In quo casu, in quaestionem venire quis credere potuerit usum dictae clausulae. At dubitari debet, num S. Officium in talem ratiocinandi modum et in clausulae usum consentiret. — Probabiliter urgeret et opponeret rationem « boni communis », ad quam ter in Decreto

provocatur — (scl. in unoquoque ex tribus S. Sedis allegatis Documentis) — in allato autem casu extraordinario particulari non haberi hanc « boni communis » rationem. Nihilominus concedi debet: in tali casu exceptionali applicationi dictae clausulae favere verba Decreti: attenta mitigatione jejunii eucharistici « rarius » et « difficilius » — (non dicit, « numquam » et « nullatenus ») — causam rationabilem occurrere. — Quidquid est: in tali casu omnino exceptionali restat respectivo christifideli (vel christifidelibus) semper aperta via, petendi, memoratis adiunctis peculiaribus, a Sancta Sede per Ordinarium *indultum stricte personale.*

ad II) *Novum Indultum*:

17. 1) *Obiectum* indulti: distributio S. Communionis postmeridianae, non nexa *cum* Missa postmeridiana, sed nexa cum postmeridiana « functione sacra », a loci Ordinario determinanda, ad quam dein applicentur quae in allegatis Documentis S. Sedis de distributione Communionis in postmeridianis Missis sunt stabilita. Est ergo haec ' functio sacra ' aliquod quasi surrogatum Missae. Hoc Indultum est simul aliqua « mitigatio » severae exclusivae normae numeri 15 Instructionis, qua non permittebatur distributio Communionis, nisi in nexu cum Missa.

2) *Subiectum* seu persona stabiliens et determinans hanc ' functionem sacram ' non sunt parochi nec vicarii foranei, sed *locorum Ordinarii.* — Non dicitur: loci Ordinarium talem ' functionem sacram ' determinare posse tantum in casu impossibilis Missae vespertinae. Ideo teneri potest: Ordinarium cumulative, et postmeridianam Missam et postmeridianam ' functionem sacram ' stabilire posse.

3) *Res* huius ' functionis sacrae ' item determinanda relinquitur loci Ordinario. Possunt certae preces, litaniae, pars Rosarii, etc. designari, sufficiens tamen non videtur esse ipsa distributio S. Communionis, licet haec secundum Rituale Romanum, tit. V, cap. II certe fit per

modum « functionis sacrae »; quod patefit ex ipso huius capitis tenore, ex assignatis precibus et ex praescriptis caeremoniis.

4) *Locus* functionis sacrae peragendae debet in individuo designari per Ordinarium loci; in genere loca, quae Ordinarius designare potest a S. Officio in ipso Decreto enumerantur: « in ecclesiis sive paroecialibus sive non paroecialibus aut in oratoriis nosocomiorum, carcerum, collegiorum », quae oratoria generatim sunt semipublica. Enumeratio S. Officii non videtur *taxative* intellegenda, ideo extendi posse videtur etiam ad oratoria publica et ad alia semipublica, si scl. in aliquo loco non sunt neque nosocomia, neque carceres, neque collegia.

5) *Numerus* locorum, quae Ordinarius designare valeat. Cum Decretum locum functionis sacrae designandum non restringat ad unum — (in eadem urbe vel oppido, in eodem pago, in eadem paroecia) — Ordinarius etiam plura loca potest designare, si hoc (secundum Ordinarii iudicium) exigitur a fidelium bono (communi).

ad III) *Intentus effectus*:

18. Finis in quem concessio novi Indulti tendit, in Decreto assignatur:

1) amplius bono communi providere;

2) consulere necessitatibus hodierni Apostolatus.

1) *Providere bono communi* animarum fuisse semper praevalentem finem totius novae disciplinae jejunii eucharistici, in omnibus tribus S. Sedis Documentis, in recenti Decreto nominatis (Constitutio et Instructio, Monitum, Motu Proprio), explicite significatur. De hac « boni communis » attendenda ratione pluries in his Annotationibus fuit sermo (cfr. nn. 3. 5. 6). Non est, cur ad hoc punctum redeatur, excepto, quod repetatur: caveatur oportet, ne illa (intrinseca) relatio et iunctio inter bonum individuale (privatum) et bonum commune (publicum) ex mentis oculis et mentis consideratione excidat (cfr. n. 6, pars altera).

2) *Consulere hodierno Apostolatui* poni debet inter magnopere urgentes hodiernas functiones Sanctae Sedis suorumque « organorum ». Hodiernus Apostolatus — (ut aliqua saltem afferantur) — exigit: instituere et dirigere diversarum classium conferentias, interesse et praesidere sessionibus diversarum fidelium associationum (academicorum in variis muneribus officialium, actionis catholicae, operariorum, iuventutis, etc.), habere discursus de hodiernis problematis socialibus, iuridicis, politicis in quantum haec problemata sunt in campo religionis vel ethicae, aut in quantum tangunt res fidei et morum; habere colloquia privata (et saepe magni momenti) de rebus conscientiae; figere, dilucidare, crisi subicere currentes et in publico grassantes ideas (bonas, malas, suspectas) quae in coetibus et circulis hodiernorum tenentur, discutiuntur, sed sine necessaria claritate et certitudine; habere catecheses adultorum in forma moderna; visitare (qualificata visitatione pastorali) ipsas familias parochianorum, firmare quod in familiis est bonum, corrigere quod est devium, corrigere matrimonia non recta, etc. etc. — Ipsae hae functiones pastorales multum occupant temporis, sed accedit necessarium tempus praeparationis harum functionum, serii studii, in rebus difficilibus necessariae consultationes cum peritis et specialistis, etc. Ut his hodierni Apostolatus exigentiis satisfiat, non solum requiritur multum temporis, sed hoc tempus debet esse tranquillum, continuum, non interruptum (quavis forte hora) inopportunis Communionis recipiendae petitionibus. Ideo hae petitiones ad certas et fixas horas (vespertinae Missae aut vespertinae functionis sacrae) coarctentur oportet. Quod si fit, tales nocivae et inopportunae perturbationes a pastoribus animarum in exercitio sui Apostolatus arcentur.

Talem agendi modum (prout in his Annotationibus supra dictum est), iam dictat sana ratio. Ideo in regionibus, in quibus bona fide tenebatur erronea persuasio et praxis distribuendi S. Communionem (in casibus « necessariis ») sine nexu cum vespertina Missa, tales inop-

portunae et turbantes S. Communionis petitiones arcebantur per sanum et sobrium iudicium fidelium, et per pastorum animarum pastoralem sanae mentis prudentiam. Ideo nemo non potest non consentire Auctoritati ecclesiasticae, quae suis Decretis hanc perturbationem ordinati et efficacis Apostolatus, provenientem ex inopportunis ac frequentibus S. Communionis petitionibus, arcet et eliminat.

19. Decretum S. Officii est tantummodo de tempore postmeridiano; sed « hodiernus Apostolatus » — (prout supra obiter delineatus est) — non restringitur ad horas postmeridianas et vespertinas, (nec ad dies dominicales et festivos), sed aequali modo exigitur et exercetur horis antemeridianis et diebus ferialibus. Nihil obstare videtur, quominus pastores animarum normam Decreti sumant etiam pro mensura sui Apostolatus antemeridiani; (dummodo ne imponant ulli ullam obligationem; ad quod ipsis deest auctoritas S. Officii).

Tandem norma et ratiocinatio in Decreto S. Officii est solummodo de exercitio Apostolatus; sed similis necessitas vel convenientia sentitur quoad antemeridianas *functiones sacras,* quae in ipsis aedibus sacris (ecclesiis, oratoriis) peragantur: uti sunt dicendae Missae, audiendae confessiones, peragendae speciales functiones sacrae variarum confraternitatum, congregationum, tertiorum ordinum, etc. — Nil obstat, quominus norma et ratiocinatio S. Officii, — (iterum nulla imposita obligatione) — a pastoribus animarum sumatur pro regula et mensura dicti *servitii sacri,* (id est pro exercitio muneris sacerdotalis in functionibus *sacris* peragendi), eum in finem, ut in his quoque actionibus ordo et quies servetur, et, pro posse, *omnibus,* et « bono communi » satisfiat.

Conclusio

Attente et complexive consideratis omnibus, quae in recenti S. Officii Decreto decernuntur, reassumuntur,

memorantur; simul attentis iis, quorum in Decreto solummodo implicite et per transennam mentio fit vel quae inibi tanguntur — (ANNOTATIONES sibi proposuerant: non tangere nisi quae et quia a S. Officio tanguntur) — *conclusio* facienda videtur esse haec: Recens S. Officii Decretum *continuat*, quod MOTU PROPRIO diei 19 Martii 1957 sibi finem proposuerat, ideoque recens Decretum sub eodem officiali titulo subsumi potest: « INDULTA extenduntur ».

F. HÜRTH S. I.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Prot. N. 2150/60

FORMULA FACULTATUM DECENNALIUM

Vi potestatis sibi a SS.mo D. N. Joanne Div. Prov. Pp. XXIII tributae, haec S. Congregatio Ordinario

.....

sequentes facultates concedit ad decennium, quod decurrit a die 1 mensis Januarii anni 1961 ad diem 31 mensis Decembris anni 1970.

A) Circa Sacramenta et Sacros Ritus

Aqua baptismalis.

1. Concedendi sacerdotibus atque diaconis facultatem benedicendi aquam baptismalem per formulam breviorem in Rituali Romano contentam.

Olea Sacra.

2. Conficiendi, si sit Episcopus consecratus, olea sacra cum numero ministrorum quos haberi contigerit: et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.

3. Concedendi sacerdotibus facultatem conficiendi oleum infirmorum, in casu tamen verae necessitatis, id est, si oleum infirmorum, ab Episcopo benedictum, haberi nequeat.

Sacramentum Confirmationis.

4. Concedendi facultatem administrandi Confirmationis Sacramentum nonnullis sacerdotibus, absente tamen aut longinque residente vel impedito quocumque Episcopo, et servato ritu in Rituali Romano contento [1].

Missa.

5. Permittendi ut iusta de causa Missa celebrari possit, super altari portatili, sine ministrante, sub dio et in navi, dummodo, debitis cautelis adhibitis, nullum

---

1 Cfr. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, *Decretum de confirmatione administranda iis, qui in periculo mortis sunt constituti,* A. A. S. 40 (1948), p. 41.

adsit irreverentiae periculm, et locus decens sit, etiamsi altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum; atque ut Missa inchoari queat post mediam noctem.

6. Permittendi ut sacerdotes substituere possint altari portatili seu petrae sacrae aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et rite benedictum, in quo conditae sint Sanctorum Reliquiae ab aliquo Ordinario loci recognitae, super quo iidem sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium celebrare queant iis tantum in casibus in quibus nulla ecclesia vel nullum oratorium publicum exstet, servatis de cetero servandis iuxta Rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale.

7. Permittendi ut Missa celebrari possit cum uno lumine cuiusvis generis; nec non permittendi ut Missa absque luminibus celebrari possit, in casu verae necessitatis.

8. Permittendi ut in utraque purificatione calicis aqua tantum adhiberi possit ,dummodo tamen adsit vini penuria.

9. Permittendi thurificationem in Missis a solo celebrante cantatis vel etiam in Missis lectis cum cantu.

10. Concedendi ut Missa solemnis et aliae functiones liturgicae solemnes celebrari possint cum assistentia solius diaconi, si alii ministri sacri desint.

11. Permittendi ut adhibeantur paramenta, vestes sacrae et mappae altaris, confecta ex gossypio vel, exclusis corporalibus, pallis et purificatoriis, ex alia materia, quae deceat.

12. Concedendi sacerdotibus ut, iusta de causa, in celebrando Sancto Sacrificio, uti possint paramentis cuiusvis coloris liturgici.

13. Concedendi sacerdotibus ut bis vel ter in die Missam celebrare possint, si, iuxta prudens Ordinarii iudicium, notabilis partis fidelium bonum id postulet, servatis de caetero iure servandis.

14. Permittendi ut in ecclesiis et oratoriis publicis, quae privilegio iuris communis (can. 821 §§ 2-3) non gaudeant, vel in locis ubi Missa pro fidelibus celebrari

soleat, tres Missae statim post mediam noctem Nativitatis Domini celebrari possint, cauto tamen ut omnia cum omni reverentia fiant.

Hebdomada sancta.

15. Permittendi ut functiones Hebdomadae sanctae, etiam bis, et ritu simplici, celebrari queant hora postmeridiana, prudenti Ordinarii iudicio statuta, in locis quoque ubi Missa pro fidelibus celebrari solet; et quatenus neque praedictae functiones fieri possint, permittendi ut in iisdem locis Missa lecta Feria Quinta in Coena Domini opportuniori hora litari possit.

Missa de Requie.

16. Permittendi ut in ecclesiis ter infra hebdomadam, extra Quadragesimam, Missa lecta de Requie celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis dominicis, octavis Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes nec non feriis ac vigiliis privilegiatis, diebus tamen, quibus eadem Missae a rubricis permittitur, computatis.

17. Concedendi ut toto anni tempore Missa de Dominica celebrari possit diebus infra Hebdomadam modo ne occurrat festum ritus duplicis primae classis.

Missae Votivae.

18. Permittendi, etiam diebus festis et dominicis, Missam votivam de B. M. V., diebus autem ferialibus etiam Missam defunctorum, iis qui, ob defectum oculorum aliamve infirmitatem, legere nequeant vel nonnisi extremo cum labore Missas singulis diebus occurentes iuxta Missalis Romani rubricas legere valeant.

SS.ma Eucharistia.

19. Permittendi ut, iusta de causa, Sanctissimum Sacramentum cum duobus luminibus cuiusvis generis exponi possit. Quoad vero lumina in expositione perpetua et Quadraginta Horarum normas opportunas Ordinarius loci praescribere potest.

20. Permittendi ut, in locis ubi nulla prosus materia ad lampades nutriendas haberi potest, Sanctissimum Sacramentum etiam sine lumine asservari possit, onerata conscientia ipsius Ordinarii.

21. Permittendi, si sit periculum irreverentiae vel sacrilegii, ut Sanctissimum Sacramentum in loco non sacro, decenti tamen, retineri possit, etiam sine lumine.

22. Permittendi ut Sanctissima Eucharistia asservari possit ad normam can. 1265, etiamsi sacerdos bis tantum in mense Missam in sacro loco celebret.

Ablutio corporalium etc.

23. Permittendi religiosis utriusque sexus ut pallas, corporalia et purificatoria primo abluere valeant (*subdelegabilis*).

S. Communio pro infirmis.

24. Permittendi sacerdotibus et diaconis ut, iusta de causa, deferre et administrare valeant christianis aegrotantibus Sanctissimam Eucharistiam sine superpelliceo ac sine comite.

Tempus Communionis Paschalis.

25. Permittendi ut tempus, quo Paschalis communio fieri potest, ad diem Cinerum anticipetur.

S. Ordinatio.

26. Conferendi, rationabili de causa, omnes Ordines minores eadem die, etiam cum prima Tonsura.

27. Conferendi, si sit Episcopus, iusta de causa, omnes sacros Ordines etiam Presbyteratum, diebus ferialibus etsi continuis.

28. Permittendi, iusta de causa, ut suis subditis omnes sacri Ordines, etiam Presbyteratus, diebus ferialibus etsi continuis conferri possint.

Dispensationes Matrimoniales.

29. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super impedimentis matrimonialibus sive minoris sive maioris gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, et ex defectu praescriptae aetatis, quando sponsi ad aetatem ab antiquo iure praefixam nondum pervenerint (idest ad annum 14 completum pro viris et ad 12 completum pro mulieribus).

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate tantum baptizanda et

educanda[2], monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi: eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat (*subdelegabilis*).

Sanationes in radice.

30. Sanandi in radice, iuxta regulas in Codice a can. 1138 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra (n. 29) vel ob defectum formae, nulliter contracta. Quoad vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat canones 1051, 1138.

Facultas sanandi in radice non extenditur ad casus in quibus supervenerit amentia unius vel utriusque partis. In singulis hisce casibus igitur ad S. Sedem recurrendum erit (*subdelegabilis*).

31. Sanandi pariter in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico, dummodo moraliter certum sit partem acatholicam universae prolis nasciturae catholicam educationem non esse impedituram (*subdelegabilis*).

Privilegium Paulinum et Interpellationes.

32. Dispensandi super interpellatione coniugum in infidelitate relictorum[3] pro omnibus casibus ordinariis, quando scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet ex processu saltem summario et extraiudicialiter coniu-

---

2 Cf. Sylloge ad usum missionariorum, Romae, 1939, p. 561 et ss.

3 Pro dispensandis infidelibus plures uxores habentibus, ut post baptismum quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti, cfr. can. 1125.

gem absentem moneri legitime non posse aut monitum intra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse (*subdelegabilis*).

33. Itemque dispensandi super interpellatione coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit ex processu saltem summario et extraiudicialiter interpellationem fieri non posse sine evidenti gravis damni aut coniugi iam ad finem converso (etsi nondum baptizato), aut christianis inferendi periculo (*subdelegabilis*).

34. Permittendi ut, accedente gravi causa, interpellatio coniugis infidelis ante baptismum partis quae ad fidem convertitur fieri possit; nec non, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem (*subdelegabilis*).

Assistentia matrimonii celebrationi.

35. Concedendi, etiam in dioecesibus, sacerdotibus qui, praedicationis cursibus, quibus vulgo nomen est « missiones », ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones a parochiali sede dissitas pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, licentiam matrimonii celebrationi valide assistendi, firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda (*subdelegabilis*).

Benedictio nuptialis.

36. Impertiendi benedictionem nuptialem extra Missam aut preces recitandi iuxta formulas in Rituali Romano contentas (*subdelegabilis*).

Circa religiosas.

37. Confirmandi Confessarium ordinarium etiam ad quartum et quintum triennium, servatis conditionibus in canone 526 praescriptis.

38. Permittendi, nomine Sanctae Sedis, ut Moniales e clausura maiore exeant pro brevibus egressibus et in casibus enumeratis in Instructione lata a S. C. de Religiosis die 25 martii 1956 (*subdelegabilis*).

B) Circa Absolutiones, Benedictiones, Indulgentias et Indulta varia

39. Absolvendi ab omnibus censuris, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis, iuxta can. 2250 § 3 (*subdelegabilis*). *Censurae.*

40. Dispensandi vel commutandi, iusta de causa, vota privata, Sedi Apostolicae reservata, de quibus in can. 1309 (*subdelegabilis*). *Vota.*

41. Benedicendi solo crucis signo cum omnibus Indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, coronas precatorias, cruces, parvas statuas et sacra numismata, et adnectendi coronis Indulgentias, quae a S. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur (*subdelegabilis*). *Coronae, cruces, numismata.*

42. Conferendi uni alterive i. e. paucis ex sacerdotibus in casu necessitatis facultatem consecrandi, iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam, calices, patenas et, iuxta formulam breviorem, altarium lapides, adhibitis tamen oleis ab Episcopo benedictis. *Consecratio calicis, patenae, etc.*

Pariter conferendi facultatem benedicendi linteum secundum formulam specialem in Rituali Romano contentam.

43. Impertiendi, praeter concessiones communes a Sancta Sede factas, ter in anno in solemnioribus festis Benedictionem Papalem iuxta praescriptam formulam cum Indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et Sacra Communione refecti, eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro sanctae Fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint. *Benedictio Papalis.*

44. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus, Indulgentiam plenariam in primae Communionis solemni distributione et in Sacramenti Confirmationis administratione, christifideles omnes praesentes lucrari possint. *Indulgentiae.*

45. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, servatis consuetis conditionibus (*subdelegabilis*).

46. Concedendi Indulgentiam plenariam singulis ex clero et ex religiosis utriusque sexus, qui per tres saltem integros dies spiritualibus Exercitiis interfuerint, ac sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes vel saltem ad Sacram Synaxim accedentes, pias preces fuderint, ut supra (n. 43).

47. Impertiendi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria omnibus christifidelibus, qui spiritualibus Exercitiis seu sacris Missionibus, de quibus in can. 1349 § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum Cruce in fine postremae concionis impertiendae vere poenitentes, confessi ac Sacra Communione refecti adstiterint, atque ecclesiam, in qua conciones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces fuderint, ut supra (n. 43) (*subdelegabilis*).

48. Concedendi in actu visitationis paroeciarum, quasi-paroeciarum et missionum, nec non communitatum tam saecularium quam religiosorum, ut Indulgentiam plenariam una vice tantum lucrari possint christifideles, dummodo contriti, confessi ac Sacra Communione refecti ecclesiam vel oratorium visitaverint et pias ad Deum preces fuderint, ut supra (n. 43) (*subelegabilis*).

49. Concedendi christifidelibus ut Indulgentias, propter quas confessio saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi semel in mense ad poenitentiae sacramentum accesserint (*subdelegabilis*).

50. Iisdem christifidelibus largiendi, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias, quae Confessionem et Communionem requirunt, dummodo sint corde saltem contriti, addito firmo proposito peccata, quamprimum poterunt, confitendi (*subdelegabilis*).

51. Benedicendi Christi crucifixi imagines sculptas cum Indulgentia plenaria a quocumque ex fidelibus in mortis periculo constitutis lucranda eas deosculando,

vel Sanctissimum Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando (*subdelegabilis*).

52. Erigendi, vel concedendi sacerdotibus facultatem erigendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae crucis, cum omnibus indulgentiis, quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt; et applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis, pro infirmis aliisque legitime impeditis, dummodo iidem crucifixum ad hoc benedictum cum affectu et animo contrito osculentur vel etiam tantum intueantur, brevem insimul, si possint, aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et Mortis Domini recitantes.

53. Erigendi illas etiam confraternitates a Sancta Sede adprobatas quarum instituendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est (can. 686 § 2) (una excepta confraternitate Sacratissimi Rosarii) iisque adscribendi christifideles.

54. Concedendi sacerdotibus facultatem christifideles adscribendi confraternitatibus (inclusa confraternitate Sacratissimi Rosarii) atque benedicendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis.

Divinum Officium.

55. Concedendi ut privatim recitari possit matutinum cum laudibus diei sequentis statim post meridiem.

56. Concedendi sacerdotibus diaconis et subdiaconis ut ob legitimam gravemque rationem, loco Divini Officii, Rosarium integrum aut alias preces recitare possint.

Vestes laicales.

57. Permittendi clericis ut vestes laicales induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere nequeant.

Ars medica.

58. Permittendi clericis et religiosis ut ad finem Regni Christi amplius dilatandi, medicinam et chirurgiam exercere valeant dummodo in istis artibus revera periti sint et in curandis infirmis omnia quae clericum et religiosum dedecent, vel scandalo esse possint, diligenter vitent, atque pro ipso exercitio artis suae nihil accipiant.

Praeceptum festivum.

59. Dispensandi cum catholicis ut serviliter laborare valeant diebus Dominicis, vel festis de praecepto, exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen Sanctae Missae auditionem, si possit audiri; si vero non possit, recitatis precibus suppletivis (*subdelegabilis*).

Translatio solemnitatis festorum.

60. Permittendi ut, servatis rubricis, in dominicam proxime sequentem transferatur solemnitas festorum, quae secundum can. 1247 sunt ferianda, sed legitime abolita.

Processiones Rogationum.

61. Transferendi processiones Rogationum in dies, quae secundum adiuncta locorum aptiores Ordinario videantur.

Libri prohibiti.

62. Concedendi, non ultra triennium, licentiam legendi ac retinendi, sub custodia tamen ne ad aliorum manus perveniant libros prohibitos et ephemerides, exceptis operibus haeresim vel schisma ex professo propugnantibus, vel etiam ipsa religionis fundamenta evertere nitentibus necnon operibus de obscoenis ex professo tractantibus, singulis christifidelibus sibi subditis, nonnisi tamen cum delectu ac rationabili de causa (cfr. can. 1402 § 2), iis scilicet tantum, qui eorundem librorum et ephemeridum lectione sive ad ea impugnanda sive ad proprium legitimum munus exercendum, vel iustum studiorum curriculum peragendum, vere indigeant.

C) Pro ipso Ordinario
(excepto Vicario Generali et Delegato)

63. Asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae actualis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum atque etiam pro Ordinario, charactere episcopali carente, fruendi indulto personali altaris privilegiati quotidiani.

64. Lucrandi indulgentias, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertire valet, impletis tamen consuetis conditionibus.

65. Si sit Episcopus, utendi throno cum baldachino et cappa magna in Pontificalibus; nec non permittendi

presbyteris, in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus, ut sui nominis tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus sive in Canone Missae mentio fiat: quatenus haec a iure concessa non fuerint.

66. Pro Praefectis Apostolicis, utendi, durante munere, insignibus et privilegiis, ipsis a can. 308 concessis, etiam extra proprium territorium, praehabito, quoad exercitium Pontificalium, consensu Ordinarii.

67. Vestiendi paramentis pontificalibus, rationabili de causa, sine rocheto, tunicella et dalmatica.

68. Celebrandi, quando ob penuriam sacerdotum impossibilis sit Missae pontificalis litatio, Missam solemnem aut Missam in cantu sicut ceteri sacerdotes.

ANIMADVERSIONES

I. Memoratae facultates ea lege conceduntur, ut illae tantum subdelegari possint, quae ita explicite notantur per verbum « *subdelegabilis* ».

II. Ordinarius, inclusis Vicario Generali et Delegato, uti potest, in iisdem tamen adiunctis, facultatibus seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedere potest.

III. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat intra fines suae iurisdictionis; easque gratis et sine ulla mercede exerceat (praeterquam pro expensis Cancellariae et cursus postalis ab iis qui pares sunt ad eas solvendas exigendis) et facta mentione apostolicae delegationis (vel subdelegationis ab Ordinario).

IV. Quod si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra tempus supra praefinitum, hisce facultatibus Ordinarium, vel eius delegatum, uti contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper datis ab Ordinario precibus pro renovatione seu prorogatione earundem facultatum, ipsae in suo robore perseverare cen-

seantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die . . . mensis . . . . . anno Domini . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

NB. — Cetera rescripta concessa usque ad expirationem facultatum generalium debent remitti ad S. C. de Propaganda Fide pro renovatione.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

COMMENTARIUS.

Introductio.

Anno 1922 Pater Arthurus Vermeersch S. I. in hac Ephemeride scripsit: « *De formulis facultatum S. C. de Propaganda Fide, Commentaria* » (Periodica XI 1922 p. 33-144) In primo capite exponitur historia Formularum facultatum, ad quam benevolum lectorem remittimus. In secundo capite dantur « Formulae hodiernae » cum Commentario. Arduum opus erat in illo tempore conficere Commentarium facultatum, quia paucissimi erant Auctores, qui de iure missionum scripserant, multo minus qui de facultatibus egerant. Iam existebat optimum opus « *Commentarium in facultates Apostolicas* » concinnatum a Patre Antonio Konings C. ss. R., quod plures habuit editiones; editio 5ª recognita et aucta fuit a Patre Joseph Putzer C. ss. R. et edita est anno 1898, Neo Eboraci.

Tempore quo scripserunt Patres Konings et Putzer decem erant formulae « ordinariae » et decem et sex formulae « extraordinariae ». Post editum Codicem Iuris

Canonici numerus formularum ad tres reductus est et facultates adaptatae sunt ad Codicem. Habebantur in illo tempore Formula I, Formula II et Formula III; sed Formula II et III utraque duas species habebant: formula *maior* et formula *minor*. In has formulas P. ARTHURUS VERMEERSCH suum commentarium scripsit. In easdem formulas paulo post Patrem VERMERRSCH commentarium edidit: ANTONIUS IGLESIAS O. F. M., *Brevis Commentarius in facultates quas Sacra Congregatio de Propaganda Fide dare solet missionariis,* Taurini-Roma 1924; eodem anno A. BLAT in libro suo « *Commentarium textus Codicis Iuris Canonici* » Vol. III De rebus, Romae 1924, in Appendice dedit Commentarium in facultates. G. VROMANT C. I. C. M., denique scripsit: *Ius Missionariorium - Facultates Apostolicae* Parisiis 1926.

Anno 1930 facultates renovatae sunt; formulae vero non mutabantur; quidem anno 1931 S. C. de P. F. novam formulam « extra ordinem » fecit pro diocesibus in Jugo Slavia: facultates in illa formula erant similes facultatibus quas S. C. Consistorialis concedebat Episcopis in iisdem regionibus, qui ab hac S. C. dependebant. Commentarium in facultates anni 1930 scripsit: SERRA, I., « Commentarium in facultates *formulae tertiae maioris* », Hongkong, 1933; anno 1938 Pater G. VROMANT novam sui Commentarii curavit editionem: *Ius Missionariorum - Facultates Apostolicae,* Parisiis 1938.

Anno 1941 iterum reductus est numerus formularum: variae formulae dabantur Ordinariis propter maiorem vel minorem distantiam a Sancta Sede; tempore moderno propter faciliora et celeriora media communicationis haec differentia distantiarum vix adest et ideo in illo anno S. C. de P. F. duas formulas dedit: Formulam maiorem: pro Ordinariis charactere episcopali insignitis, formulam minorem pro Ordinariis hoc charactere carentibus. Etiam ipsae facultates paululum mutatae sunt: differentiae clare indicantur apud STANGHETTI, *Prassi della S. C. de Propaganda Fide,* Romae, 1943; in eodem libro quoque invenitur brevis commentarius in facultates. Post

ipsum optimum commentarium dedit XAVERIUS M. PAVENTI « *Brevis Commentarius in facultates S. Congregationis de Propaganda Fide* », Romae 1944; anno 1947 Pater A. COOREMAN, C. I. C. M. novam curavit editionem libri Patris VROMANT; deinde HUBERTUS VAN GROESSEN O. F. M. Cap., edidit: « *De Apostolische faculteiten voor Missiegebieden* », Roermond 1949; COSMAS SARTORI O. F. M., edidit: « Iuris Missionarii elementa », Romae 1947.

Facultates renovatae anno 1951, fere identicae sunt cum facultatibus anni 1941: duae tantum mutationes inductae sunt: suppressa est facultas n. 53 formulae minoris et in facultate 22 non iam dicitur « *de universa prole utriusque sexus* » sed « *de universa prole nascitura utriusque sexus* ».

In his facultatibus commentarios scripserunt:

P. COSMAS SARTORI O. F. M., « *Iuris missionarii elementa*, Ed. 2 a Romae, 1951; J. de REEPER, S. S. J. de Mill Hill, *A missionary Companion* Ed 2ª, Dublin 1953.

Facultates, quas S. C. de Propaganda Fide pro decennio 1961-1970 Ordinariis missionum concedit in multis differunt a facultatibus concessis pro decennio elapso: in genere sunt largiores et plures novae facultates additae sunt. In nostro commentario breviter tantum indicabimus quaenam mutata, suppressa aut addita sint; pro interpretatione facultatum remittimus ad commentarios existentes in facultates anni 1941 cum mutationibus inductis anno 1947 et anni 1951, quos supra iam enumeravimus.

Omnes isti auctores tractant quaestiones de subiecto cui dantur facultates, de normis interpretandi, de usu facultatum etc.

Attentum examen novarum facultatem utilitatem habet non tantum pro Ordinariis missionum et pro missionariis, sed pro omnibus cultoribus juris canonici, quia:

a) non raro facultatibus praeformatur ius commune: disciplina nunc vigens quod ad ieiunium Eucharisticum, quod ad missas vespertinas, ortum habuit ex fa-

cultatibus iam ante multos annos a S. C. de P. F. nonnullis Ordinariis petentibus concessis: unde facultates indicare possunt evolutionem juris;

b) cognitio facultatum utilis potest esse ad interpretandum ius commune: si conceditur facultas dispensandi « rationabili di causa » ab aliqua lege, exinde licet concludere legem non adeo severe esse urgendam ac si facultas dispensandi concedatur tantum « *ob causam gravem* ».

Etiam pro interpretatione canonis 15 et 81 cognitio facultatum utilis est: Si omnibus Ordinariis missionum datur facultas dispensandi ab aliqua lege certo agitur de lege « *in qua Romanus Pontifex dispensare solet* » (can. 15) aut de dispensatione « *quae a Sede Apostolica concedi solet* » (can. 81).

c) Multae facultates Nuntiorum et etiam multae ex facultatibus quinquennalibus quas recipiunt Ordinarii extra Missiones similes sunt facultatibus S. C. de P. F.

Hucusque tres habebantur formulae faculatum:

1) *Formula « extra ordinem »*, quae dabatur Ordinariis missionum in Jugo Slavia;

2) *Formula maior,* quae dabatur ceteris Ordinariis missionum charactere episcopali insignitis;

3) *Formula minor,* quae dabatur ceteris Ordinariis missionum, qui non habebant characterem episcopalem.

Ultimae duae formulae ad unicam formulam redactae sunt; recte, quia Ordinarius charactere Episcopali insignitus recipiebat formulam maiorem, vacante vero Sede aderat Ordinarius sine charactere episcopali, qui ideo habebat facultates formulae minoris, sed ipsam formulam minorem prae manibus non habebat. Formula « extra ordinem » suppressa est: haec formula satis antiquata erat et plures continebat facultates, quae ex iure communi Codicis omnibus Ordinariis iam competunt. In nova formula unica explicite indicatur quaenam facultates competant solummodo Ordinariis, qui sunt episcopi consecrati ,quaenam solis Ordinariis non episcopis, aliae facultates sunt communes omnium Ordinariorum.

Mutatus est titulus facultatum; antea erat: « *Formula maior* » aut « *Formula minor* » nunc factus est: « *Formula facultatum decennalium* ».

A) Circa Sacramenta et Sacros Ritus.

1 - (Form. maior n. 1) *De aqua baptismali.*

In hac facultate pauca, non essentialia sunt mutata: loco « *suis missionariis* » nunc dicitur « *sacerdotibus atque diaconis* ». Omissio vocis « *suis* » indicat facultatem concedi posse etiam non subditis: v. g. sacerdotibus, qui actu in missione commorantur. Denique in hoc numero, sicuti etiam in sequentibus iam non fit sermo de « *missionariis* ». Pro hac mutatione duplex ratio adduci potest: a) in multis nationibus, praesertim in iis quae nuper independentiam adepti sunt voces « *missionis* » et « *missionarii* » offendunt aures fidelium et praesertim infidelium; b) posset aliquis movere dubium utrum etiam sacerdotes indigenae censendi sint « *missionarii* ». Omne dubium nunc sublatum est. Iam erat communis sententia auctorum, qui antiquas facultates interpretabantur nomine « *missionariorum* » in hac facultate venire quoque diaconos; attamen explicita mentio diaconorum, quae fit in nova facultate, nos inducit ad conicien-dum Sacram Congregationem non esse contrariam instaurationi officii diaconatus.

Mutata sunt quoque ultima verba facultatis: antea dicebatur: « *ea breviori formula quae in Appendice Ritualis Romani continetur* ». Ratio huius mutationis est nova dispositio Ritualis Romani in editionibus post annum 1952: in his editionibus formula brevior ad benedicendam aquam baptismalem iam non invenitur in Appendice sed in corpore ipsius Ritualis et quidem in Tit. II Cap. IX.

Bene notandum hanc facultatem non dispensare ab obligatione habendi fontem baptismalem in omnibus ec-

clesiis paroecialibus et quasi-paroecialibus neque ab obligatione benedicendi solemniter fontem in vigilia Paschatis, Nobiscum Paventi o. c. p. 16; Vromant o. c. p. 26; Sartori docet o. c. p. 88 formulam breviorem adhiberi posse etiam in Vigilia Paschatis, si fons baptismalis non habetur: hoc iam sustineri nequit, « Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus » loquitur « De Benedictione aquae baptismalis ». Aqua baptismalis benedicitur in vase decenti (n. 20), in quo si fons non adest etiam conservari potest, conceditur tantum ut deficiente aqua baptismali sacerdos loco formulae longioris, quae invenitur in Rituali Romano, tit. II, Cap. IX adhibere possit formulam breviorem, sive ad benedicendum fontem, sive ad benedicendum aquam quam indiget pro baptismo solemni. Missionarius qui baptismum solemnem administrare debet in loco ubi fons baptismalis non adest aut potest secumferre aquam baptismalem ex fonte, aut potest ante baptismum benedicere aquam cum formula in facultate concessa. Similiter si adest fons benedicta sed aqua est corrupta aut deficit benedicere potest sacerdos novam aquam eadem formula.

Inter facultates concessas pro America Latina et pro Insulis Philippinis (S. C. Consist. 8 aug. 1959, AAS LI (1959) p. 915) invenitur quoque facultas n. 2: abbreviandi nempe ceremonias baptismatis.

Pro missionibus haec facultas non datur, et non videtur necessaria: quia a) ex iure communi (can. 755 § 2) « loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere ut ceremoniae praescriptae pro baptismo infantium, adhibeantur in baptismo adultorum » et b) de ceremoniis baptismi adultorum Rituale Romanum Tit. II Cap. IV n. 53 dicit: « Si vero ob baptizandorum multitudinem, ut quandoque contingit, in singulorum baptismo praescripti ritus ad Baptismi essentiam non pertinentes adhiberi non possint, tunc vel pluribus simul adhibeantur vel, urgente necessitate, omittantur ».

2. - (Form. maior n. 2) *De oliis sacris.*

Haec facultas deerat in Formula minori: etiam nunc conceditur solummodo Ordinario charactere episcopali insignito: quare inserta sunt verba. « *si sit Episcopus consecratus* ». Si Episcopus non habet numerum ministrorum requisitum a rubricis, ex facultate in feria V in Coena Domini *potest* tamen consacrare olea sacra: non *debet;* potest quoque ea petere ab alio Episcopo vicino, quod expedit facere si consecratio oleorum nequit fieri cum quadam solemnitate.

Imo si potest petere olea ab alio Episcopo non licet ea consecrare extra feriam V in « Coena Domini » dicit enim facultas: « *in casu necessitatis* ».

3. - (Nova) *De oleo infirmorum.*

In Codice Iuris Canonici in can. 945 dicitur « *Oleum olivarum in sacramento extremo unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero, qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit* ». Huiusmodi vero facultas rarissime sacerdotibus latinis concedebatur. Unum casum affert Cappello, F. M., S. I., in « *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis* » Vol. III De extrema unctione, Ed. 2ª, Romae 1942: ubi dicit sub n. 51 7° « Benedictus XV die 21 martii 1916, pro quibusdam regionibus concessit Administratoribus Apostolicis et Vicariis Capitularibus, charactere episcopali destitutis, itemque Vicariis Generalibus, qui dioceses regebant, a quibus episcopi aberant, privilegium conficiendi olea sacra « *perdurante bello* » et per tres menses ab inita pace, servatis omnibus de iure servandis ». Notandum hic non tantum fieri sermo de oleo infirmorum, sicut in nostra facultate, sed de omnibus oleis sacris. — In ecclesiis orientalibus oleum infirmorum benedici solet ab ipso sacerdote qui administrat extremam unctionem. Post extremam unctionem quod reliquum est comburitur. Cfr. Cappello, *o. c.* p. 241.

Nova haec facultas in nonnullis missionibus magni potest esse momenti: propter difficiles communicationes saepe olea sacra ab Episcopo benedictum haberi nequeunt et proh dolor, in nonnullis missionibus dubium oriri potest utrum Episcopus habeat communionem cum Sancta Sede: in tali casu sacerdos qui facultatem receperit ipse oleum infirmorum benedicere potest vi huius facultatis. Formula adhibenda in benedictione olei infirmorum non indicatur. Quamdiu S. C. aliam formulam non praescripserit sacerdos adhibere potest formulam in Pontificali Romano pro benedictione olei infirmorum praescriptam. In favorem missionariorum, qui Pontificale Romanum prae manibus non habent haec formula hic integre exscribitur.

Exorcismus

Exorcizo te immundissime spiritus, omnisque incursio satanae, et omne phantasma: In nomine Pat✠ris, et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti; ut recedas ad hoc oleo, ut possit esse unctio spiritalis ad corroborandum templum Dei vivi; ut in eo possit Spiritus Sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis; et per nomen dilectissimi Filii eius Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. R. Amen.

Oremus.

Emitte, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de caelis in hanc pinguedinem olivae, quam de viridi ligno, producere dignatus es, ad refectionem mentis, et corporis, ut tua sancta benedictione, sit omni hoc unguento caelestis medicinae peruncto, tutamen, mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque aegritudinem mentis, et corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres; sit Chrisma tuum perfectum, Domine nobis a te bene✠dictum, permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Iesu Christi.

4. - (Form. maior n. 3) *De Sacramento Confirmationis.*

Verba facultatis paululum mutata sunt, ita ut admittant interpretationem latiorem. Iam non dicitur « *uni vel alteri ex suis sacerdotibus* » sed « *nonnullis sacerdotibus* »; possunt igitur esse plures quam duo et non requiritur ut sint subditi. Omissa sunt verba, quae in antiqua facultate inter parentheses addebantur: (*i. e. omnino paucis et ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos hanc facultatem habeat*). Omissio horum verborum certo non est consideranda limitatio facultatis sed potius extensio: in eadem statione nunc etiam plures sacerdotes hac facultate frui possunt: v.g. si in eadem statione unus sacerdos est « residens » alter visitare solet stationes secundarias dependentes Ordinarius facultatem administrandi Confirmationem utrique sacerdoti concedere potest. Conditio requisita ad liceitatem remansit: « *absente tamen aut longinque residente* » Episcopo: in nova facultate additur « *vel impedito* ».

Unde Episcopus, qui est infirmus aut aliis negotiis detentus concedere potest ut etiam in ipsa civitate Episcopali sacerdos confirmationem administret. Instructio et ritus Confirmationis in novis editionibus Ritualis Romani (post annum 1952) iam non invenitur in Appendice sed in corpore, Tit. III Cap. III; hanc ob causam mutata sunt ultima verba facultatis.

In nota 1) remittitur ad decretum S. C. de P. F. de Confirmatione administranda iis, qui in periculo mortis sunt constituti. Hoc decretum vim suam retinet. Idem dicendum de Decreto S. C. de disc. Sacr. 19 sept 1946. (AAS XXXVIII (1946) p. 349). In facultate sermo fit de confirmatione administranda etiam iis, qui non sunt in periculo mortis. Ritus confirmationis in periculo mortis aliquantulum differt a ritu adhibendo si simplex sacerdos Confirmationem confert extra periculum mortis. Cfr. Rit. Rom. Tit. III Cap. II. In Rit. Rom. edito ante annum 1952 ritus confirmationis in periculo mortis non invenitur.

5. - (Form. maior n. 4). *De loco, hora et ceremoniis Missae.*

Omissa sunt verba « *in casu necessitatis* ». Quia tamen facultas continet plures dispensationes a legibus liturgicis ad usum huius facultatis requiritur « *iusta causa* » proportionate gravis. Sic sola devotio celebrantis videtur sufficere ad celebrandum super altare portatili: est quidem facultas quae datur in favorem fidelium sed sacerdotes ex fidelibus excludendi non sunt; « *etiam sine ministrante* »: facultas antiqua dicebat « *etiam sine ministro* »: in novis facultatibus nomen « *ministri* » reservatur ministris sacris; idem facit Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus; ommittuntur in nova facultate verba: « *et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis* »: ius commune enim vetat solummodo celebrare missam praesentibus excommunicatis *vitandis;* unde mirum est S. C. de disc. Sacr. in recenti decreto, 14 sept. 1946 adhuc dicere in *Ritu Servando*: « *Cavere debet* [sacerdos] ne coram haereticis aut schismaticis [...] confirmet ».

Ommissa sunt pariter verba « *si aliter celebrari non possit* » quae verba tamen evidenter adhuc subintelligenda sunt: si sacerdos potest celebrare super altare fixum aut etiam super altare mobile, non licet celebrare super altare portatile; si potest celebrare in ecclesia aut cum ministrante non licet celebrare sub dio aut in navi, nisi ad normam canonis 822 § 4., nec sine ministrante; antiqua facultas loquitur de « *una hora post mediam noctem* », in nova facultate dicitur: « *atque ut Missa inchoari queat post mediam noctem* ». Auctores communiter docent Ordinarium hanc facultatem concedere posse quoque sacerdotibus sibi subditis extra territorium versantibus: sic Vromant o. c. p. 32; De Reeper p. 30. Haec interpretatio confirmata est responso privato S. C. de P. F. ad Procuratorem generalem O. M. I., publicatum in *Ephemerides Iuris Canonici* III (1947) p. 243 ubi dicitur: missionarius certo Vicariatui addictus, dum ipse exstat extra territorium proprii Vicarii Apostolici uti

potest facultate n. 4 [nunc n. 5] sibi concessa, cum licentia saltem praesumpta Ordinarii loci, sed tantum in territoriis S. C. de P. F. subiectis.

6. - (Nova). *De linteo benedicto.*

Facultas haec nova est: durante bello S. C. Rituum similem facultatem concedebat cappellanis militaribus. Postea S. C. de P. F. eandem facultatem particularem concedebat nonnullis Ordinariis missionum petentibus: nunc conceditur omnibus Ordinariis missionum, suppressis quibusdam conditionibus restrictivis, quae in facultatibus particularibus habebantur. Hoc « *antimensium latinum* » a PAVENTI in « *Breviarium Iuris missionalis* », Romae 1952 p. 43, sic describitur:

« Constat velo linteo confecto ex lino vel cannabe, cuius amplitudo eadem esse potest ac illa communis corporalis; in angulo dextro huius lintei assuitur parvus quidam lineus sacculus, in quo includuntur reliquiae SS. Martyrum recognitae a quodam Episcopo. Antimensium benedici debet ab Episcopo formula statuta ».

Formula benedictionis ex opere citato transcribimus:

BENEDICTIO LINTEI

Loco altaris portatilis a missionariis dumtaxat adhibendi pro celebratione Missae.

Pontifex, postquam aliquas authenticas Reliquias sanctorum Martyrum recognoverit, eas in parvo quodam lineo saeculo includit, qui in angulo dextro lintei benedicendi assuatur, deinde linteum benedicit, dicens:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
R. Qui fecit coelum et terram.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spirito tuo.

Oremus.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus ut linteum hac ad suscipienda populi tui munera praeparatum, per nostrae humilitatis servitium bene✠dicere, sancti✠ficare et conse✠crare digneris: ut super eo sanctum sacrificium Tibi offerre valeamus, ad honorem beatissimae Virginis Mariae, et NN., quorum reliquias in eo reposuimus, et omnium Sanctorum; et praesta, ut ut per haec sacrosancta mysteria vincula peccatorum nostrorum absolvantur, maculae deleantur, veniae impetrentur, gratiae acquirantur, quatenus una cum Sanctis et Electis tuis vitam percipere mereamur aeternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Et aspergit illud aqua benedicta [1]

Usus facultatis excluditur in ecclesiis et in oratoriis publicis; alibi permittitur dummodo gravis adsit causa, lex quae praescribit ut Missa celebretur in petra sacra in Ecclesia latina venerabilis est antiquitatis et severe urgetur. In stationibus vero secundariis, ubi missa celebratur in loco profano, ubi altare non adest et Missa litari debet in mensa ordinaria praeferendus est linteus benedictus prae petra sacra, non solum quia facilius transportari potest et non frangitur sed etiam, quia calix stabilius ponitur super linteum quam super petram parvam, cuius superficies est magis elevata quam superficies mensae ipsius.

Linteum « *substituitur* » petrae sacrae: quare *super* linteum ponendae sunt tobaleae et corporale. Ordinarius concedere potest usum lintei et etiam concedere potest sacerdotibus facultatem benedicendi linteum, dummodo reliquiae sunt recognitae ab aliquo Ordinario loci, qui eas quoque in parvo sacculo includere debet. (Cfr. dicenda sub n. 42).

---

1 Formula haec invenitur quoque in novis Ritualibus, editis ab anno 1952, sub tit. IX Cap. IX n. 21.

Potest Ordinarius concedere usum facultatis « *intra fines suae iurisdictionis* » i. e. intra proprium territorium omnibus sacerdotibus, sacerdotibus vero sibi subditis, iter agentibus, etiam extra territorium proprium non vero extra territorium S. C. de P. F. (Cfr. quae supra diximus sub n. 5).

N. B. Usus « antimensii Graeci » prohibitus manet (Can. 823 § 2).

7. - (Form. maior n. 5) *De luminibus in celebratione Missae.*

Omissa sunt verba « *dummodo cera apum desit* », quae sunt superflua; lex enim manet: missa celebrari debet cum duobus luminibus ex cera confectis. Omissa sunt quoque verba: « *et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii* ». Unde *licite* celebrari potest Missa vi facultatis: a) cum uno lumine cuiusvis generis: si deest cera apum; b) sine luminibus: sed tantum « *in casu verae necessitatis* »: i. e. si deest quaelibet materia et adest necessitas celebrandi.

8. - (Form. Maior n. 6) *De purificatione in Missa.*

Facultas latiorem admittit interpretationem: iam non dicitur « *dummodo tamen extrema sit vini penuria* » sed « *dummodo adsit vini penuria* »; unde certo licitus est facultatis usus si vinum nonnisi cum magnis expensis haberi potest. Non requiritur necessitas celebrandi.

9. - (Form. Maior n. 7) *De thurificatione in Missa non solemni.*

Nova facultas thurificationem admittit non solum « *in Missis cantatis a celebrante sed etiam in Missis lectis cum cantu* ». Opportuna concessio pro missionibus, ubi saltem in minoribus ecclesiis Missa cantata propter difficultatem cantus, praesertim partium variabilium Missae raro fieri potest. De clericis adsistentibus iam non

fit sermo; requiritur unus saltem ministrans iuxta legem communem, nisi sacerdos habeat facultatem de qua in n. 5.

Die 16 iam. 1797 S. C. de P. F. iam respondit: « non esse inquietandos missionarios », qui deficiente diacono, subdiacono *et choro* Missam *soli cantant* et in eadem altare thurificare solent. (Coll I n. 640) In Sinis ex indulto speciali Ordinarii permittere possunt thurificationem in Missa *publica* etiam lecta, diebus solemnioribus (Cfr. *Monita Nankinensia I* n. 385).

19. - (Nova) *De functionibus solemnibus sine subdiacono.*

Est facultas nova, saltem in hac forma. Pro functionibus hebdomadae sanctae S. C. Rituum iam simile quid concesserat: Die 1 februarii anni 1957 S. C. Rituum edidit « *Ordinationes et declarationes circa ordinem Hebdomadae Sanctae instauratum* » (A. A. S. XLIX (1957) p. 91 - 95). Ibidem sub I 3 dicitur: « Ubi actiones liturgicae hebdomadae sanctae ritu simplici peraguntur, si praesto sit alter sacerdos aut saltem diaconus, nil impedit quominus hic, diaconali more indutus, cantet Evangelium, quando occurrit, aut historiam passionis (ipsi celebranti parte Christi reservata), vel praeconium paschale, lectiones quoque et invitationes ut sunt *Flectamus genua* et *Levate,* aut *Benedicamus Domino* vel *Ite, Missa est;* uno verbo partes diaconi congrue absolvat ».

Facultas nostra sese extendit ad omnes functiones liturgicas: Missam solemnem, Vesperas, Processiones etc. Terminologia est differens: S. C. Rituum dicit: actiones liturgicae peraguntur *ritu simplici cum assistentia diaconi;* facultas nostra dicit: Missa *solemnis* et functiones *solemnes* fiunt *cum assistentia solius diaconi,* seu a. v. sine assistentia subdiaconi: igitur iuxta ritum solemnem; diaconus, habitu diaconali, explet tum munera diaconi, tum in quantum fieri potest subdiaconi.

Dolendum esset si missionarii hac facultate uterentur, aut potius abuterentur ad simplificandas func-

tiones liturgicas, ita ut in posterum celebrarent semper Missam solemnem cum assistentia solius diaconi: hoc esset contra mentem facultatis: in locis ubi hucusque Missa solemnis celebrabatur etiam in posterum celebranda est, in locis vero ubi hucusque celebrabatur Missa in cantu nunc vi huius facultatis celebrari potest Missa solemnis etiamsi unus tantum minister sacer adest. Facultas datur ad augendum splendorem cultus liturgici! Explicite dicitur in facultate « *si alii ministri sacri desint* ». Desunt quoque si aliis occupationibus detineantur, v. g. in audiendis confessionibus, etc.

Facultas satisfacit desiderio expresso in Congressu de Liturgia in Missionibus habito in Uden anno 1959, ubi sequens votum approbatum fuit:

De Sacrificio Missae n. 3.

« Quando Missa Solemnis difficilis evadit, ut saepe in missionibus, optatur permissio ut ad augendam solemnitatem celebrationis eucharisticae, quaedam ceremoniae Missae Solemnis adhiberi possint, e. gr. ministerium diaconi, vel clerici ad modum diaconi ».

Ultimum concessum non fuit! Merito: quia si clerici isti apti et digni sunt quominus munera diaconatus committantur decet iis dare quoque ordinationem diaconatus.

11. - (Nova) *De materia paramentorum etc.*

Casula, stola, manipulus, dalmatica, tunicella, planeta, pluviale, velum humerale, velum calicis et pyxidis necnon bursa corporalis saltem principaliter serica esse debent.

Amictus, alba, rochettum, superpelliceum, mappae altaris, corporale, palla, purificatorium confici debent ex lino dealbato aut saltem ex « cannabe » (D. 2600).

Tamen ipsa S. C. R. Rituum plura concessit indulta ad adhibendam aliam materiam; non vero pro corporali, palla et purificatorio (cfr. CALLEWAERT, C., *De Missalis Romanis Liturgia,* Brugis 1937 n. 479 - 480).

Ex Facultate omnia paramenta, vestes sacrae, mappae altaris, etiam corporalia, pallae et purificatoria confici possint ex *gossipio*: ratio huius concessionis videtur esse magnum pretium telae linteae, imo difficultas obtinendi hanc materiam. Haec facultas antea Ordinariis petentibus a S. C. de P. F. iam concedebatur. (Cfr. Paventi *Breviarium Iuris Missionalis,* Romae 1952, p. 267). Insuper omnia paramenta etc., exclusis vero corporalibus, pallis et purificatoriis confici possunt ex qualibet materia decenti: etiam ex materiis artificialibus aut syntheticis: quae saepe minore pretio venduntur, multo melius conservantur etiam in locis humidis et calidis et non sunt minoris pulchritudinis quam tela confecta ex gossipio aut linteo.

Hac facultate conceditur quoque conficere paramenta etc., ex materia decenti, quae in ipso loco ab artificibus indigenis producitur; facultas igitur favet quoque adaptationi artis liturgicae.

12. - (Form. maior n. 8) *De colore paramentorum liturgicorum.*

Haec facultas multo mutata est:

a) loco « *suis missionariis* » dicitur « *sacerdotibus* »: igitur facultas concedi potest etiam non subditis, qui in territorio commorantur;

b) omissa sunt verba « *iter facientibus* »: unde facultas concedi potest etiam sacerdotibus qui in statione ubi resident Missam celebrant;

c) requiritur « *iusta causa* »; in casu « *iusta causa* » potest esse: iter: ne sacerdos cogatur secum ferre plura paramenta diversorum colorum; potest vero etiam esse iusta causa alia: v. g. si sacerdos in missione paupere habet paramenta valde simplicia, unam tantum habet casulam pretiosiorem albi coloris: « *iusta causa* » est utendi hac casula propter specialem pulchritudinem etiam in festo Pentecostes.

Ipsa S. C. Rituum iam permiserat adhibere « *ratione pretiositatis* » indumenta aurea pro coloribus albo rubro

et viridi, argentea vero pro colore albo; neutra tamen pro violaceo aut nigro. (D 3646, 2).

Alia « *causa iusta* »: in aliqua regione symbolismus colorum est omnino diversus a nostro: color albus est signum luctus!

In hoc casu sacerdos vi huius facultatis potest celebrare Missam « de Requie » aut in Commemoratione omnium Fidelium in paramentis albis. Saepius enim Romani Pontifices et etiam S. C. et P. F. missionariis inculcaverunt ut intacta relinquerent ritus, consuetudines et mores populorum, modo non sint appertissime religioni et bonis moribus contraria... (Cfr. Instr. S. C. de P. F. anni 1659 Coll. S. C. de P. F. I n. 135) Atqui diversus symbolismus colorum certo non est contra fidem aut mores. Notandum praeterea systema colorum liturgicorum existere tantum in Ecclesia latina et etiam ibidem neque esse antiquum neque constans. (Cfr. Callewaert, o. c., p. 82).

13. - (Nova) *De celebratione Missae bis vel ter in eadem die.*

Facultas haec iam pluribus Ordinariis petentibus a S. C. de P. F. concedebatur; nunc omnibus Ordinariis missionum communicatur; est extensio facultatis quae in Codice Iuris Canonici in can. 806 § 2 omnibus Ordinariis locorum conceditur. Vi facultatis Ordinarii missionum concedere possunt « binationem Missae » *omnibus diebus* etiam diebus ferialibus; imo concedere possunt ut idem sacerdos *ter* missam celebret; sive in eodem loco, sive in locis diversis.

In Codice apponitur condicio haec: « *nisi cum, prudenti ipsius* [Ordinarii] *iudicio* [.....] *notabilis fidelium pars Missae adstare non possit* ». In nostra facultate condicio aliis verbis enuntiatur et quidem: « *si, iuxta prudens Ordinarii iudicium, notabilis partis fidelium bonum id postulet* », quae verba latiorem admittunt interpretationem quam verba Codicis; unde censemus celebrationem secundae vel tertiae Missae non solummodo

esse licitam in casu quo sacerdos sibi commissos habet duos populos ita seiunctos ut simul eidem Missae adesse non possint, aut in casu quo omnes fideles ad unicam Missam convenire non possunt sive propter nimiam angustiam ecclesiae sive quia omnes fideles simul non possunt abesse a domo aut a laboribus, sed etiam esse licitam in casu quo sacerdos celebrare debet Missam « de Requie » aut Missam pro sponsis. Quia praesertim in stationibus, quae semel tantum in hebdomada aut rarius visitantur expedit ut non omnes Missae sint « de Requie » aut « Pro Sponso et Sponsa ». Vi facultatis sacerdos unam Missam celebrare potest pro fidelibus, alia pro Sponsis et eorum familia.

Quamvis facultas haec magnae utilitatis esse possit, tamen non sine moderatione adhibenda est. Pro sanitate sacerdotis et etiam pro eius devotione binatio Missae omnibus diebus non raro est onus nimis grave. Etiam pro fidelibus rariores sed longiores visitationes missionarii in quibus omnes possunt confiteri et fieri potest instructio catechetica cum homilia in Missa interdum utiliores sunt quam brevissima visitatio, quae vix sufficit ad devote celebrandum Missam singulis hebdomadibus. « *Servatis de caetero iure servandis* »: in Rituali Romano Tit V cap. VI habetur, « *Instructio pro Sacerdote facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi* ».

Haec Instructio vero abrogata est Constitutione Apostolica « *Christus Dominus* » Pii PP XII diei 6 ianuarii 1953: Nunc observari debent: « *Variationes in Rubricis Missalis Romani post Constitutionem « Christus Dominus »* (S. C. Rituum 16 oct 1953; (AAS XLVI (1954) p. 69) Ibidem dicitur: « Si plures Missas in uno die continuo celebret, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem. Si plures Missas in una die cum intermissione celebret, potest in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis praescriptis sumere, sed tantum adhibita aqua.

Si vero sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare

debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Die Nativitatis Domini Rubrica post primam Missam sic compleatur:

« In prima et secunda Missa ... ac demum velo. Si vero praedictas Missas cum intermissione sit celebraturus, potest in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis praescriptas sumere, sed tantum adhibita aqua ».

In Commemoratione omnium fidelium defunctorum die 2 Novembris, post primam Missam rubrica compleatur ut die Nativitatis Domini ».

In memoriam hic quoque revocatur canon 824 § 2.: « Quoties autem pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco ».

S. C. de P. F. nonnullis Ordinariis petentibus concessit facultatem percipiendi stipendium Missae in casu binationis et trinationis in bonum missionis vel alicuius operis. (Cfr. Paventi, *Breviarium Iuris Missionalis* p. 269).

14. - (Form. maior n. 9) *De tribus Missis in Nocte Nativitatis Dñi.*

Facultas haec extensa est: iuxta antiquam facultatem tres Missae permitti possunt tantum in *ecclesiis et in oratoriis publicis;* in nova facultate additur: « *vel in locis ubi Missa pro fidelibus celebrari soleat* ».

15. - (Form. maior n. 10) *De functionibus Maioris Hebdomadae.*

Antiqua facultas concedebat usum Memorialis Rituum Benedicti XIII; « *Ordo Hebdomadae Sanctae instauratus* » hoc Memoriale Rituum pro Hebdomada Sancta suppressit: nunc iam duos ritus habentur: ritus solemnis et ritus simplex, qui in eodem Ordine descri-

buntur. Nova facultas plures continet dispensationes a praescriptis S. C. Rituum:

a) functiones Hebdomadae Sanctae *bis* fieri possunt: i. e. bis fieri possunt *ab eodem sacerdote,* diversis in locis, si sacerdos plures paroecias aut stationes commissas habet, S. C. Rituum pro functionibus Hebdomadae Sanctae Ordinariis locorum iam dederat facultatem concedendi « binationem » functionum Hebdomadae Sanctae sed tantum « *Sarcedotibus, qui curam duarum vel plurium habeant paroeciarum* » (Ordinationes et declarationes S. C. Rituum diei 1 febr. 1957, (A. A. S. XLIX (1957) p. 93, III, 13, IV, 16 et V, 21); ultimis duobus locis additur: « *non tamen in edem paroecia* ». Vi huius facultatis vero bis quoque celebrari possunt *in eodem loco;* V. g. si ecclesia vel oratorium una vice populum continere nequit. In hoc casu functiones fieri possunt sive ab eodem sacerdote sive ab alio;

b) functiones Hebdomadae Sanctae fieri possunt *ritu simplici*: iuxta « *Ordinationes et declarationes* » I, 1 2 ritus simplex adhiberi potest « *In ecclesiis et in oratoriis publicis et semipublicis* » facultas concedit ritum simplicem etiam in aliis locis. Non tantum « *in locis dissitis* » ut antea. Iuvat hic in memoriam revocare quae de ritu simplici in « *Ordinationes et declarationes* » eodem loco dicuntur:

« Ad praefatum autem ritum simplicem peragendum, requiritur numerus sufficiens « ministrantium » sive clericorum, sive saltem puerorum, et quidem trium ad minus pro dominica II Passionis seu in Palmis et pro Missa in Cena Domini; et quattuor saltem in celebratione Actionis liturgicae feriae VI in Passione et Morte Domini et Vigiliae Paschalis. Hi autem « ministrantes » sedulo instructi esse debent de iis quae ab ipsis agenda sunt (*Instructio* diei 16 novembris 1955 n. 3). Duplex haec conditio, scilicet de sufficienti numero « ministrantium » et de eorum congrua praeparatione, prorsus requiritur ad ritum simplicem peragendum. Ordinarii locorum invigilent ut haec dulpex conditio pro ritu sim-

plici statuta, adamussim observetur (*Declaratio* diei 15 martii 1956 n. 2) ».

Haec omnia certo quoque valent pro missionibus, imo magis: si functiones istae carent splendore melius omittantur. Ex introductione ad vota Congressus de Liturgia in Missionibus attentionem merentur verba sequentia:

« Accurata observantia rubricarum et digna ordinatio actionum liturgicarum etiam in missionibus maiore cura ac diligentia procuranda est, sicut iterum iterumque oratores congressus inculcaverunt, praesertim propter indolem gentium magis ingenuam, et propter dignitatem eleboratioremque formam cultuum indigenorum; quae quidem dignitas in solemnitatibus Protestantium saepe invenitur ».

c) fieri possunt « *hora postmeridiana, prudenti Ordinarii iudicio statuta* ». Pro multis missionibus haec dispositio est magni valoris: in multis regionibus functiones vespertinae fieri non possunt, quia desunt bonae viae et praesertim quia deest illuminatio viarum; ante occasum solis fideles domum reduces esse debent; alibi, praesertim in nationibus non christianis fideles his diebus saepe coguntur laborare et non possunt assistere functionibus litirgicis nisi hora tardiore.

« *hora postmeridiana* » censemus verba haec late interpretari posse, et includere etiam horas vespertinas; igitur a medio die usque ad mediam noctem.

Hora tamen magis adaptata ad istas functiones est hora indicata a S. C. Rituum: i. e. pro Missa in Cena Domini post horam quartam et ante horam nonam; pro functionibus Feriae VI in Passione et Morte Domini circa horam tertiam; pro functionibus Sabbati Sancti et Vigiliae Paschalis, ea hora quae permittat Missam eiusdem vigiliae incipere circa mediam noctem inter sabbatum sanctum et dominicam resurrectionis. (Cfr. Ordinationes et declarationes III 8; IV 15; V 19 a.) Unde omnino optandum est ut in domibus religiosis et in collegiis functiones horis indicatis fiant, limitato usu fa-

cultatis ad ecclesias paroeciales, ubi rationes pastorales usum facultatis suadent.

d) fieri possunt functiones Hebdomadae Sanctae quoque « *in locis ubi Missa pro fidelibus celebrari solet* » igitur non solum in Ecclesiis et in oratoriis semipublicis sed etiam in locis non sacris; v. g. in scholis, imo in domibus privatis; requiritur tamen ut sit locus « *in quo Missa pro fidelibus celebrari solet* » Sic in stationibus secundariis, quae ecclesiam non habent sed ubi singulis dominicis, vel etiam alternis dominicis aut semel in mense Missa celebrari solet etiam functiones hebdomadae sanctae fieri permittuntur. Est facultas quam S. C. de P. F. iam nonnullis Ordinariis missionum petentibus concesserat; nunc generaliter conceditur. Nostro iudicio facultas nihil *concedit* ultra facultatem n. 51 sed potius *declarat* Ordinarios posse concedere ut fiant functiones Hebdomadae Sanctae in locis profanis. Quidem Ius commune exigit ut Missa celebretur et ut functiones fiant in loco sacro, sed facultate n. 5 Ordinarii permittere possunt ut iusta de causa Missa celebrari possit super altari portatili, igitur etiam in loco profano: atqui, qui potest magis potest et minus: Ordinarius, qui permittere potest celebrationem Missae, functionis liturgicae supremae, etiam alias functiones permittere in iisdem locis potest. In hunc sensum praxis iam diu facultatem n. 5 interpretabatur: in locis profanis, ubi Missa celebrari solebat etiam baptismus solemnis administrari solebat, etiam solemnis dabatur benedictio nuptiarum etc.

Attamen si functiones Hebdomadae Sanctae fiunt in loco profano magis adhuc insistendum videtur ut fiant cum debita reverentia et dignitate, observatis legibus liturgicis et specialibus rubricis: functiones enim « utilitariae » magis nocent pietati et devotioni fidelium quam prosunt.

Functiones Feriae V in Cena Domini et Feriae VI in Passione et Morte Domini separari non possunt: si in aliquo loco factae fuerint functiones feria V etiam ibidem fieri *debent* functiones feriae VI, nec fieri pos-

sunt functiones feriae VI si functiones feria V locum non habuerint; functiones vero Sabbati Sancti stant per se. (Cfr. Ord. et declar. III 14 et V 20).

d) Missa lecta in Feria V in Cena Domini *opportuniori hora litari* potest. Iuxta Ord. et decl. Ordinarius loci ob rationes pastorales permittere potest in Feria V in Cena Domini « praeter Missam principalem, unam vel alteram Missam *lectam* in singulis ecclesiis vel oratoriis publicis; in oratoriis autem semipublicis unam tantum ». Has Missas permittere potest quoque si functiones locum non habent. Additur tamen monitum: « Hae Missae lectae infra idem temporis spatium celebrari debent quod supra, n. 8 pro Missa in Cena Domini assignatum est. » (Cfr. III n. 9) Facultas nostra ab hac ultima conditione dispensat. Missae lectae in feria V in Cena Domini cum licentia Ordinari loci celebrari possunt « *opportuniore hora* », etiam, si bonum fidelium hoc postulat, horis antemeridianis, et vi facultatis « *etiam in locis ubi Missa pro fidelibus celebrari solet* ».

Sabbato Sancto Missa *sine* functionibus praeviis concedi nequit.

16. - (Form. maior n. 11) *De Missa de Requie.*

In antiqua facultate dicebatur « *Missa privata de Requie* »; nova facultas rectius loquitur de « *Missa lecta de Requie* ». Est mutatio verbi non rei: inducta fuit propter Instructionem S. C. Rituum *De Musica Sacra et Sacra Liturgia,* (3 sept 1958) ubi Cap. I n. 2 dicitur:

« Sacrosanctum Missae sacrificium est actus cultus publici, nomine Christi et Ecclesiae Deo redditi, quovis loco vel modo celebretur. Denominatio proinde « *Missae privatae vitetur* ». (AAS L (1958) p. 630 sqq.). Praeterea in antiqua facultate sermo fiebat de « *octavis privilegiatis* », quia Decreto Generali S. C. Rituum, dato die 20 apr. 1955 (AAS XLVII (1957) p. 218 sqq.) suppressae sunt omnes Octavae, exceptis Octavis Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes (Tit. II, n. 11) nova

facultas loquitur de « *octavis Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes* ». Infra Octavas suppressas Epiphaniae, Ascensionis Domini necnon diebus a 2 ad 5 ianuarii usus facultatis permittitur. Infra octavas suppressas Corporis Christi et SS. Cordis Jesu novae Rubricae Missam quotidianam de Requie admittunt. (Decr. Gen. Tit. II, n. 18).

Facultas agit de Missa lecta « *quotidiana* » de Requie, non de Missa de Requie « *privilegiata* » in die obitus etc. quae etiam lecta esse potest et quae iisdem diebus iuxta rubricas iam celebrari potest, neque de Missis cantatis, quae proprias Rubricas habent. Optandum est ut Ordinarii parce tantum facultatem concedant et missionarii parcius adhuc ea utantur, ne fideles, qui quotidie Missae assistunt ter vel pluries in hebdomada Missam de Requie audiant. Praeterea non erit inutile docere fideles Sacrificium Missae offerri posse non tantum pro defunctis sed etiam pro vivis.

Facultas non respicit personas sed loca. « *Permittendi ut in ecclesiis* » et iuxta canonem 1191 § 1 etiam in oratoriis publicis; « *ter in hebdomada* » i. e. tribus diebus, a Rectore ecclesiae designandis, ab omnibus sacerdotibus « *Missa lecta* » quotidiana « *de Requie celebrari possit* »..... « *Diebus tamen, quibus eadem Missa a rubricis permittitur computatis* ». Non tamen computatis diebus quibus celebrantur Missae privilegiatae « De Requie » : in die obitus, anniversarii etc.

17. - (Nova) *De Missa de dominica infra hebdomadam.*

Facultas haec nova est et videtur concessa ad obsecundandum aliquomodo voto Ordinariorum multorum missionum prolato in Congresso liturgico-missionario habito in Uden mense septembri 1959. Votum datum est huius tenoris. — « Numerus pericoparum dominicalium e Sacra Scriptura desumptarum augeatur, quatenus cyclo — e. g. quatuor annorum — thesaurus Sacrae Scripturae fidelibus magis aperiatur ».

S. C. de P. F. hoc votum plene exaudire non potuit, quia non habet competentiam ad mutandos libros liturgicos: voluit tamen dare S. C. facultatem celebrandi Missam de Dominica etiam diebus ferialibus, ut fideles in stationibus secundariis, qui diebus dominicis carent Missa, saltem diebus ferialibus audirent pericopas dominicarum: facultas haec videtur magni momenti practici; potest enim nunc missionarius qui infra hebdomadam stationes visitat ibidem celebrare Missam de dominica; potest habere eandem homiliam quam die dominica habuit et fideles varias partes Evangelii audiunt; in festis recurrentibus per annum saepe Missa est de communi et idem Evangelium repetitur. Insuper fideles uti possunt Missali parvo, quod continet tantum missas dominicarum et festorum de praecepto.

Pro missionibus non videtur opportunum augere numerum pericoparum et creare cyclum plurium annorum; profundior et amplior cognitio Sacrae Scripturae certo exoptanda est, sed pro maxima parte fidelium est impossibilis; fideles, qui nesciunt legere, pro quibus « fides est ex auditu » solummodo ex saepius repetita auditione « aliquid » retinent. Timendum est ne multiplicatio pericoparum potius minuat cognitionem Sacrae Scripturae apud rudes quam augeat. Lectiones, orationes etc. Missalis sunt pro omnibus; aliud est Breviarium, quod cibum solidiorem praebere debet fidelibus magis excultis. Mirum est Missam de dominica permitti posse omnibus diebus, exclusis tantum diebus festis primae classis. In ipsa dominica Missa de dominica cedere debet etiam festis 2æ classis, infra hebdomadam vi huius facultatis non: ex hac concessione affulget spes fore ut in nova reformatione Kalendarii et rubricarum Missalis, Missa de Dominica etiam anteponatur festis 2^{ae} classis.

In facultate non indicatur quonam ritu Missa de Dominica celebrari debeat; ut videtur eodem modo ac in ipsa die dominica: cum Credo et non cum plus quam duabus orationibus, quia locum habet Missae dominicalis.

18. - (Form. maior n. 12) *De Missis Votivis.*

In antiqua facultate dicebatur « *iis qui ... legere nequeant Missas* ... additur in nova facultate : « *vel nisi extremo cum labore Missas ... legere valeant* ». Haec non est vera mutatio : iam antiqua facultas in hunc sensum interpretabantur Auctores : v. g. VROMANT o. c., p. 45 qui dicit : « Facultas conceditur permittendi sacerdotibus caecutientibus vel qui propter aliam infirmitatem (v. g. balbutiem) legere Missas praescriptas nequeant seu difficile tantum possint, ut cotidie legant Missam votivam B. M. V., vel diebus ferialibus etiam Missam defunctorum ».

Antiqua facultas in nota 1) remittebat ad A. A. S. anni 1921 pag. 154 sqq. ubi invenitur instructio S. C. Rituum quae Instructio invenitur quoque in Rituali Romano, Tit. V, Cap. VI « Instructio pro sacerdote caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex indulto apostolico concessam ». Anno vero 1957, die 15 decembris S. C. Rituum dedit Instructionem revisam « Pro sacerdote infirmo vel caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex indulto apostolico concessam ». (A. A. S. L. (1958) p. 51). Quamvis facultas non remittit ad hanc Insructionem, necessaria tamen est ad rectam intelligentiam facultatis, et omnino observanda.

« *Ob defectum oculorum* » : etiam sacerdos omnino caecus uti potest facultate : quod negat SARTORI p. 106 : qui dicit solos Nuntios hanc facultatem concedere posse : quia Nuntii Apostolici duplicem habent facultatem :

36. - f) facultatem presbyteris, ex utroque clero, visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, celebrandi diebus festis et duplicibus Missam votivam Deiparae Virginis, aut aliam Missam votivam a S. Sede approbatam; diebus vero ferialibus Missam defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis adsistentia, et firmo permanente onere, si sint parochi, explicandi Evangelium diebus praescriptis;

g) eandem facultatem de qua sub littera f), sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper adsistentia alterius sacerdotis aut diaconi, et dummodo, facto experimento, comperiantur in nullo defecisse ».

Quod ad qualitatem Missarum facultas haec largior est, quam nostra facultas; non tamen quod ad personas quibus prodest: nemo dicit sacerdotem omnino caecum non laborare « *defectu oculorum* ».

19. - (Form. maior n. 13) *De luminibus coram Sanctissimo Sacramento exposito.*

Prima pars facultatis non est mutata. In secunda parte antiquae facultatis legebatur: « *exclusa tamen expositione perpetua et XL horarum* ». Unde pro expositione perpetua et XL horarum rubricae ordinariae observari debebant, nunc dicitur: « *Quoad vero lumina in expositione perpetua et XL horarum normas opportunas Ordinarius loci praescribere potest* ». Unde saltem duo debent esse lumina, cuiusvis materiae, sicut in prima parte conceditur: utrum plura praescribenda sint videat Ordinarius; insuper Ordinarius videat quaenam alia signa reverentiae, ornamenta symbolica, pro diversa natura culturae populi praescribenda sunt: v. g. flores speciales, thurificatio etc.; Quia non sufficit simpliciter dispensare opportet ut alia signa externa venerationis, alia symbola substituantur. Etiam hic adaptatio quaedam necessaria est.

20. - (Form, maior n. 14) *De luminibus coram Sanctissimo Sacramento in tabernaculo recondito.*

Verba novae facultatis paululum mitigata sunt: in antiqua facultate dicebatur: « *in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii* » in nova facultate ommittuntur verba « *in casu tamen verae necessitatis* ». Quaedam tamen necessitas requiritur: dicit enim facultas nova: « *ubi nulla prorsus materia ad lampades nutriendas haberi potest* »; non tamen requi-

ritur necessitas asservandi Sanctissimum Sacramentum. Haec necessitas adest in ecclesiis paroecialibus ubi pro infirmis Sanctissimum Sacramentum conservari debet, non adest in Oratorio semipublico communitatis religiosae si ecclesia paroecialis non longe abest: tamen, Ordinarius loci vi huius facultatis licentiam dare potest ut ibidem Sanctissimum Sacramentum asservetur sine lumine. Suppressa quoque fuit vox « *graviter* » onerata conscientia, remansit sola clausula « *onerata conscientia* » quae verba potius superflua videntur, quia in usu cuiuslibet facultatis subintelligitur « *onerata conscientia* »; Ordinarius enim non potest uti his facultatibus pro libitu sed semper debet habere causam proportionate gravem.

Antiqua facultas in nota remittebat ad Instructionem S. C. de Disc. Sacr de SS. Eucharistia sedulo custodienda 26 maii 1938 (AAS XXX (1938) p. 198). Postea saepius S. C. hanc Instructionem confirmavit et complevit: Cfr. AAS XXXIII (1941) p. 57 et AAS XXXV (1943) p. 282. Cfr. quoque S. C. Rituum in AAS XXXIV (1942) p. 34 et AAS XLI (1949) p. 476).

21. - (Form. maior n. 15) *De custodia SSmi Sacramenti extra locum sacrum et sine lumine.*

Can. 1269 § 1 iubet ut Ssmum Sacramentum servetur « *in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito* ».

In eodem vero canone in § 3 statuitur exceptio:

« Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum Sanctissimum Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271 ».

Codex loquitur de « *nocturno tempore* »: facultas concedit Ordinariis potestatem permittendi « *ut Sanctissimum Sacramentum in loco non sacro, decenti tamen retineri possit,* etiam tempore non nocturno.

Attamen nova facultas latius patet quam antiqua: causa cur sanctissimum Sacramentum extra locum sacrum, etiam diurno tempore custodiri posset erat « *periculum sacrilegii* » et « *pro infirmis* »: in nova facultate dicitur: « *si sit periculum irreverentiae vel sacrilegii* » et suppressa sunt verba: « *pro infirmis* ». Igitur certo licet asservare Ssmum Sacramentum propter periculum irreverentiae in loco non sacro, etiamsi custoditur tantum devotionis causa: sic vg. licet servare SSmum Sacramentum in oratorio domus religiosae ut religiosi commode per diem SSmum visitare possint, dum tempore quo religiosi omnes e domo absint SSmum custodiri potest propter periculum furti aut irreverentiae in alio loco tutiore. ««*etiam sine lumine* » contra praescriptum can. 1271. — Si materia ad lampadem nutriendam desit vi facultatis n. 20; si adest materia sed adest periculum sacrilegii, vg. ad occultandum SSmum contra persecutores, aut propter periculum irreverentiae, vg. periculum incendii, vi huius facultatis. (cfr. quoque Epistolam S. C. de disc. Sacr. ad Ordinarios 15 sept. 1943 (A. A. S. XXXV (1943) p. 282-285).

22. - (Nova) *De custodia Sanctissimi Sacramenti.*

Secundum ius commune in omnibus locis sacris ubi custoditur Sanctissimum Sacramentum semel saltem in hebdomada Missa celebrari debet (Can. 1265 § 1); iuxta facultatem Sanctissimum Sacramentum custodiri potest « *etiamsi sacerdos bis tantum in mense Missam in sacro loco celebret* ». Non requiritur ut Missa celebretur alternis hebdomadibus, ut tamen finis legis obtineatur non videtur sufficere si sacerdos bis in mense diebus successivis Missam celebret.

Ceteroquin alia conditio ab eodem canone requisita ad amussim observari debet: « adsit qui eius curam habeat »; debet esse sacerdos, qui prope ecclesiam resideat: ita Cappello *De Sacramentis* Vol. I Ed. 6ª Romae 1953 n. 316. Unde censemus facultatem applicari posse ad oratoria religiosorum aut ad alia oratoria quae

non longe distant a loco habitualis residentiae missionarii; non vero ad oratoria in locis dissitis, quae alternis tantum hebdomadis a missionario visitantur.

Si sacerdos solus est in statione, in qua fideles plures quotidie Missae adsistere solent et insuper habetur aliud oratorium ubi Sanctissimum asservatur, sufficiens causa adest ad permittendam binationem bis in mense.

23. - (Form. maior n. 16) *De ablutione corporalium etc.*

Iuxta antiquam facultatem permissio dari poterat solummodo « *sororibus* », nova facultas loquitur de « *religiosis* » addito claritatis gratia « *utriusque sexus* ». Debent esse religiosi sensu proprio; Paventi o. c. p. 27 dicit permissionem dari posse quoque sodalibus societatum sine votis in communi viventibus. Sed non dat rationem. Facultates quidem admittunt latam interpretationem sed verba sumenda sunt in sensu proprio: sodales vero societatum sine votis tantum sensu improprio vocari possunt religiosi.

24. - (Form. major n. 17) *De delatione et administratione S. Communionis pro infirmis.*

In facultate antiqua sermo erat de « *missionariis suis* », nova facultas dicit: « *sacerdotibus et diaconis* »: igitur etiam non subditis, intra territorium tamen. Conditio requisita in antiqua facultate erat: « *dummodo constet de periculo cui exponerentur si induerent superpelliceum et stolam* ». In nova facultate dicitur « *iusta de causa* ».

Delatio Sanctissimi Sacramenti ad infirmos fieri debet *publice,* nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. Sic canon 847. In privata delatione vero « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici

associetur: » (S. C. de disc. Sacr. 23 dec. 1912, A. A. S. IV (1912) p. 725).

Praesens facultas dispensat ab obligatione induendi stolam et habendi comitem; requiritur tamen « *iusta causa* »: v. g. via difficilis aut lunga, aut in multis locis: praxis diuturna contraria.

Administratio Sanctissimi Sacramenti ad infirmos fieri debet iuxta rubricas Ritualis Romani: requiritur ut sacerdos induatur superpelliceum cum stola, adsint lumina, fiunt preces etc. Facultas dispensat ab usu superpellicei et stolae: tamen si iusta adest causa administratio sine lumine et sine precibus fieri potest: sic Auctores iam interpretabantur antiquam facultatem, quae minus lata erat (Cfr. VROMANT, o. c. p. 52; PAVENTI, o. c. p. 28).

—. - (Form. maior n. 18) *De ieiunio Eucharistico pro infirmis.*

In novis facultatibus nihil de dispensatione a ieiunio Eucharistico invenitur: disciplina statuta in Motu Proprio « *Sacram Communionem* » diei 19 martii 1957 (AAS IL (1957) p. 177) quo indulta a Constitutione Apostolica « *Christus Dominus* » extenduntur et nunc ubique vigens, antiquam facultatem reddidit superfluam. Tamen in nonnullis missionibus adhuc oriuntur difficultates quoad ieiunium Eucharisticum: requiritur abstinentia a cibis solidis per tres horas, a liquidis per unam horam: quomodo autem fideles in regionibus, ubi horologia publica non adsunt, qui praeterea ipsi horologium non habent nec habent notionem horarum, has tres horas computare possunt? Saepe cognoscunt solummodo ortum solis, meridiem et occasum solis.

Solutionem huius difficultatis multis in casibus habetur in can. 15.: in dubio facti potest Ordinarius dispensare in iis legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. Haec facultas Ordinarii est potestas iurisdictionis ordinaria, igitur Ordinarius potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare (can. 199 § 1). Potest igi-

tur Ordinarius suis missionariis dare facultatem dispensandi a ieiunio Eucharistico si adest dubium facti, i. e. si dubium est utrum post comestionem tres horae elapserint necne.

25. - (Nova) *De Communione Paschali.*

Dicit canon 859 § 2: « Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in albis; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis ». Ad hunc canonem CAPPELLO, « *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis* » Vol. I, Ed. 6a, Romae 1953, n. 427 adnotat: « Verba " *pro suis fidelibus* " ita putamus intelligenda, ut non solum id possit relate ad eos qui habent domicilium aut quasi-domicilium paroeciale vel dioecesanum ad normam can. 94 § 2, sed etiam relate ad ceteros omnes qui *actu* intra dioecesim commorantur ».

Facultas concedit anticipationem ad diem Cinerum. Limitatio anticipationis ad quartam dominicam Quadragesimae, prouti in Codice statuitur videtur potius arbitraria: quare quarta dominica et non tertia? Magis rationabilis est facultas: Communio Paschalis fieri potest *toto* tempore Quadragesimae et Passionis necnon toto tempore Paschalis.

S. C. Consistorialis, die 8 augusti 1959 (AAS LI (1959) p. 917) ad decennium omnibus fidelibus in America Latina et in Insulis Philippinis permisit ut a Dominica septuagesimae usque ad diem 16 mensis Iulii, in Commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo, praecepto annuae paschalis Communionis satisfacere possint. Hac facultate uti possunt quoque fideles in iisdem regionibus a S. C. de P. F. dependentibus. (Cfr. NAVARRETE, U., Periodica XLIX 1960 p. 245 « *Annotationes* ».

26. - (Form. maior n. 19) *De ordinibus minoribus.*

Quia ordines minores non possunt conferri « *omnes simul* » uti in antiqua facultate dicebatur mutata sunt verba; quae nunc sonant; « *Conferendi, rationabili de causa, omnes Ordines minores* EADEM DIE, *etiam cum prima tonsura* ».

27. - (Form. maior n. 20) *De ordinibus sacris.*

Haec facultas deerat in formula minori et etiam nunc conceditur tantum Ordinario « *si sit Episcopus* ».

28. - (Form. minor n. 19).

Haec facultas deerat in formula maiori, quia Episcopus, qui potest ipse conferre scaros ordines, etiam Presbyteratum diebus ferialibus etiam continuis, idem potest facere etiam per alium; nunc vero inserta est, saltem pro Ordinariis qui carent charactere Episcopali.

— (Form. maior n. 21) *De aetate requisita ad ordinem Presbyteratus.*

Antiqua facultas sic erat: « *Dispensandi, gravi tumen de causa, cum suis utriusque cleri diaconis super defectu aetatis decem et octo mensium, ut ad S. Presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite* (*can. 976, 3*) *absolverint* ».

Facultas haec suppressa est. De hoc suppressione nemo dolebit! Raro, praesertim in missionibus, adolescens ante aetatem 24 annorum studia requisita absolvit et insuper aetas 24 annorum vel minima dici debet ad suscipienda onera Presbyteratus, praesertim pro neophytis aut christianis ex prima generatione. Non pauci Ordinarii potius inclinantur ad differendum ordinationem sacerdotalem ad aetatem maturiorem; in nonnullis missionibus diaconi per duos aut tres annos sacrum ministerium sub ductu sacerdotis experti exercere debent ante-

quam ad Presbyteratum admittantur. Haec praxis omnino conformis est disciplinae Codicis, qui dicit in can. 978 § 1: « In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum sese exerceant ». Deinde in § 2 dicitur interstitium inter diaconatum et Presbyteratum debere esse *saltem* trium mensium.

29. - (Form. maior n. 22) *De dispensationibus matrimonialibus.*

30. - (Form. maior n. 23) *De sanatione in radice.*

31. - (Form. maior n. 24) *idem.*

32. - (Form. maior n. 25) *De dispensatione ab interpellationibus.*

33. - (Form. maior n. 26) *idem.*

34. - (Form. maior n. 27) *De interpellationibus faciendis ante baptismum.*

Omnes istae facultates immutatae permanserunt.

Deerat in antiquis facultatibus et deest quoque in novis facultatibus, facultas dispensandi a forma canonica; facultas, quae certo a multis Ordinariis desideratur, quia forma canonica matrimonii in multis missionibus satis aliena est ab usibus et consuetudinibus populi: non raro puella non potest se sistere coram parocho sine scandalo; magis adhuc scandalosum est pro puella dare consensum explicitum- Pro Sinis S. C. de P. F. dedit indultum particulare: Ordinarii dispensare possunt in casu verae necessitatis a forma substantiali matrimonii, quae facultas est subdelegabilis rectoribus Missionum (Cfr. Sartori, o. c., p. 119); etiam pro aliis regionibus S. C. de P. F. indulta particularia concedit; (Cfr. Paventi, *Breviarium* p. 272) Praeterea pro nonnullis missionibus S. C. de P. F. approbavit proprium Ritum celebrandi Matrimonii Sacramentum.

35. - (Nova) *De assistentia ad celebrationem matrimonii.*

Erectis in terris missionum multis dioecesibus necessarium evasit providere conditionibus specialibus harum diocesium: sunt enim verae dioeceses et in iis observari debent leges latae pro dioecesibus, ex alia parte manent adhuc missiones, i. e. « adhuc aliquid inchoatum prae se ferunt ».

Iuxta can. 1094 ad validitatem matrimonii requiritur ut contrahatur « coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato »; insuper dicit can. 1096 § 1. « Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095 § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est ». Ultimus canon praesertim in missionibus est fons multarum difficultatum: saepe limites paroeciae non sunt bene determinatae; non raro parochus non habet verum vicarium cooperatorem sensu stricto sed diebus dominicis aut festis, aut pro ministerio in ecclesia dependenti, venit aliquis sacerdos, qui adhuc studet linguam aut qui docet in seminario ad adiuvandum parochum: tali sacerdoti Ordinarius aut parochus non possunt dare licentiam generalem, habitualem, assistendi matrimoniis, tamen interdum difficile est praevidere quaenam matrimonia determinata benedicenda sint.

Pro territorio nondum diviso in paroecias aut quasi-paroecias nulla est difficultas: dicit Instructio S. C. de P. F. diei 25 iulii 1920: (A. A. S. XII (1920) p. 333) « In locis vero ubi ipsae [quasi-paroeciae] constitutae non sunt, Missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii vel Praefecti Apostolici, atque proinde cum licentia generali ab Ordinario concessa valide et licite adsistunt matrimoniis ».

Hanc dispositionem per analogiam applicare possumus quoque ad territorium non divisum in dioecesibus.

Pro casu vero quo adsunt quasi-paroeciae, quae in Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis adesse possunt, aut paroeciae, quae in dioecesibus adesse debent providetur in nostra facultate.

« *Concedendi,* non tantum pro territorio indiviso, sed etiam pro paroeciis aut quasi-paroeciis, non tantum in Vicariatibus aut Praefecturis Apostolicis, sed *etiam in dioecesibus, sacerdotibus qui praedicationis cursibus quibus vulgo nomen est « missiones » ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis explendum,* v. g. ad praeparandum populum ad communionem, praesertim paschalem, ad habendam instructionem catecheticam et ad celebrandum Missam die dominica aut die festo de praecepto etc., *in longinquas regiones a paroeciali sede dissitas pergunt, iisdem missionibus perdurantibus,* aut perdurante alio exercitio pietatis, *licentiam* generalem, et habitualem *matrimonii celebrationi* valide assistendi, *firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus stolae parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.*

Facultas non datur pro assistentia matrimoniorum in ipsa ecclesia paroeciali, sed tantum pro regionibus longinquis ab ecclesia paroeciali. Distantia hic moraliter sumenda est: si desunt viae etiam minor distantia sufficit: certo sufficit distantia talis, quae excusat fideles ab audiendo Missam die dominica in ecclesia paroeciali. « *aliud exercitium pietatis* ». Ipsa verba latam admittunt interpretationem; supra quaedam exempla attulimus.

Eadem fere facultas conceditur Ordinariis in America Latina et in Insulis Philippinis decreto S. C. Consistorialis de quo supra sub n. 30.

Latior est facultas quam Legati Apostolicae Sedis concedere possunt: 22. - « In locis, ubi ob defectum vel nimiam distantiam parochorum succurrendum sit fidelium necessitatibus ope Sacrarum Missionum illuc identidem mittendarum, tribuendi Praesidi seu Superiori Missionis ut ipse qua parochus, ceteri Missionarii qua

eius vicarii cooperatores possint pro fidelibus ad illam Missionem pertinentibus vel ad eam accedentibus, quae ceteri parochi et vicarii cooperatores in suis paroeciis possunt.

Item concedendi eidem Praesidi seu Superiori Missionis, in loco Missionis ut supra, facultates quibus Vicarii Generales pollent, atque eas, quas canones 1043-1057 C. I. C. statuunt et Ordinariis pro matrimoniis tribuunt.

[. . . . . .]

Denique hanc ipsam potestatem poterit Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus, in casibus particularibus, subdelegare Episcopis qui in territorio ipsi assignato inveniuntur ».

In casibus igitur occurrentibus Ordinarii Missionum recurrere possunt ad legatum Sanctae Sedis.

36. - (Form. maior n. 28) *De benedictione nuptiarum.*

Mutata sunt ultima verba facultatis quia mutatus est ordo Ritualis Romani in editionibus ab anno 1952; formula beedictionis nunc invenitur in corpore Ritualis Romani et quidem:

Tit. VIII Caput III: Benedictio nuptialis extra Missam *danda ex Apostolico Indulto quando Missa non dicitur.*

Tit. VIII Caput IV: Preces recitandae extra Missam super coniuges ex indulto Apostolicae Sedis, *quando benedictio nuptialis non permittitur.*

(Si sponsa sit vidua iam in primis nuptiis benedicta, vel etiam si prima vice nubat, sed tempore clauso, aut etiam cum licentia Ordinarii, si una pars est acatholica, vi canonis 1102 § 2).

In facultatibus pro America Latina, et Insulis Philippinis, de quibus supra sub n. 30 sermo fuit conceditur: « *6.* - Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in

quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur ».

Facultas haec videtur superflua: quia a) « nuptiae » nunquam prohibentur: dicit canon 1108 § 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. b) quidem dicit canon 1108 § 2 « Solemnis tamen nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive », sed ab hac lege Ordinarius loci dispensare potest; dicit idem canon in § 3. « Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant ».

Haec potestas est potestas iurisdictionis ordinaria, potest igitur aliis sacerdotibus delegari. (can. 199 § 1).

37. - (Nova) *De confessario ordinario religiosarum.*

Secundum canonem 526 confessarius ordinarius religiosarum nominatur ad triennium; potest vero Ordinarius, verificatis conditionibus in canone requisitis eum semel confirmare ad secundum triennium, imo iterum confirmare potest confessarium ad tertium triennium, non vero ad quartum triennium, quod conceditur nova hac facultate, imo conceditur confirmatio ad quintum triennium, sed semper « *servatis conditionibus in canone 526 praescriptis* ».

38. (Nova) *De egressu monialium e clausura.*

Crescente in dies numero monialium in missionibus nova haec facultas certo grata erit Ordinariis: casus enumerati in Instructione citata sunt sequentes:

1) sanitas extra monasterium curanda;

2) visitatio instituenda apud medicum, praesertim in re peritum, v. g. pro oculis, pro dentibus, ad applicationem radiorum, pro observatione medicali;

3) comitari vel visitare Monialem foris aegrotantem;

4) supplere sorores externas vel similes personas in casu deficientes;

5) vigilantiam exercere circa agros, fundos, aedificia, vel aedes quas sorores externae inhabitant.

6) actus administrationis vel gestionis oeconomicae magni momenti qui aliter non aut vix recte vel male fieri possent;

7) labor monasticus tam apostolicus quam etiam manualis;

8) susceptio officii in alio Monasterio, hisce similia ».

Facultas respicit moniales, quae habent clausuram papalem *maiorem;* si habent clausuram papalem *minorem* licentia egrediendi in casibus iure expressis concedi potest ab Antistita, in casibus, qui iure expressi non sunt, ab Ordinario (Cfr. Instr. S. C. de Religiosis diei 25 martii 1956, A. A. S. XLVIII (1956) nn. 50 et 51 pag. 522, 523) « *pro brevibus eggressibus* »: pendet a natura causae: egressus ad visitandum medicum pro dentibus curandis brevior erit quam egressus ad curandam sanitatem extra monasterium; si longior egressus praevidetur, v. g. cura in sanatorio per plures menses, Ordinarius egressum permittere potest, deinde pro prorogatione licentiae recurrendum ad Sanctam Sedem .

Facultas Ordinarii est subdelegabilis: potest igitur Ordinarius subdelegare parochos aut missionarios pro locis dissitis.

B) Circa Absolutiones, Benedictiones

Indulgentias et Indulta varia

39. - (Form. maior n. 29) *De absolutione a censuris.*

Facultas non est mutata.

40. - (Form. maior n. 30) *De dispensatione a votis.*

Facultas non est mutata: vi canonis 1320 et huius facultatis Ordinarii missionum dispensare possunt quoque a iuramento promissorio, observato tamen clausula eiusdem canonis: « sed si iuris iurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae ».

In facultate quam habent Legati Apostolici idem explicite dicitur: « n. 14 « Commutandi aut dispensandi, consideratis causis , omnia vota privatim emissa, etiam Apostolicae Sedi reservata, exceptis votis in quibus agitur de tertii praeiudicio ».

41. - (Form. maior n. 31) *De benedictione numismatum et coronarum.*

Facultas mutata non est. Ultimus elenchus indulgentiarum Apostolicarum concessarum a S. P. Joanni Pp. XXIII die 22 novembris 1958 invenitur in AAS LI (1959) p. 48.

42. - (Form. maior n. 32) *De consecratione calicis etc.*

Parva in hac facultate facta est mutatio: loco « *ex suis sacerdotibus* » dicitur « *ex sacerdotibus* ». Potest igitur facultas concedi etiam non subditis, paucis tamen. « *Formula brevior* », de qua in facultate invenitur apud Paventi, o. c. p. 91-97 Vromant, o. c. p. 155; est satis lunga!

Additur in nova facultate potestas benedicendi linteum quod locum tenet petrae sacrae de quo in fac. n. 6, ubi datur quoque formula benedictionis. Vi huius facultatis, Coll. Animadversione II, etiam Ordinarius, qui non est Episcopus ipse huiusmodi lintea benedicere potest.

43. - (Form. maior n. 33) *De benedictione papali.*

Mutata sunt prima verba facultatis: iam non remittitur ad solum canonem 914, sed dicitur « *praeter concessiones communes a Sancta Sede factas* », quia praeter canonem 914, qui in vigore manet quique concedit ut Episcopi residentiales bis in anno, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici semel in anno benedictionem Apostolicam impertiri possint, S. P. Pius XII occasione vicesimi quinti anni ex quo dignitate episcopali insignitus erat concessit ut facultas impertiendi benedictionem papalem de qua in can. 914 ita adaugeatur ut episcopis residentiales ter in anno, abbatibus autem, praelatis nullius, vicariis ac praefectis apostolicis bis in anno eam impertiri liceat ad normam canonis eiusdem. (S. Paenit. Ap., 20 iul. 1942, AAS XXXIV (1942) p. 240).

Facultas nostra cum hac concessione cumulatur, ita ut Episcopi residentiales in missionibus sexies in anno, hoc est semel in die solemni Paschatis Resurrectionis et quinquies aliis diebus festis Solemnioribus ab ipsis designandis benedictionem papalem impertiri possint; Vicarii vero et Praefecti Apostolici quinquies in anno in diebus solemnioribus.

Quamvis haec facultas non inveniatur inter facultates « Pro ipso Ordinario » tamen solus Ordinarius ipse hanc benedictionem concedere potest, non vicarius generalis aut vicarius delegatus, neque vicarius capitularis aut provicarius, quia facultas est extensio canonis 914, qui non loquitur de Ordinario sed de Episcopo et de Vicario ac Praefecto Apostolico; Ipsa facultas clare dicit « praeter concessiones communes », atqui vicarius generalis, capitularis aut delegatus « concessiones communes » non habent. Vromant o. c. p. 99 Dicit: Cum facultatum formulae censeantur concessae Vicario Generali quoque seu delegato, poterit Antistes benedictionem committere Vicario Suo Generali: at si concessa est facultas quoque Vicario Generali ad quid commissio ab Antistite facienda? Et si concessa esset Vicario Generali, tum

Episcopus tum Vicarius Generalis *ter* in anno Benedictione dare possent- Neque potest Episcopus hanc facultatem subdelegare: non est « *subdelegabilis* » haec facultas.

44. - (Form. maior n. 34) *De indulgentia plenaria occasione primae Communionis et Confirmationis.*

Facultas notabiliter est extensa: vi antiquae facultatis indulgentiam acquirere poterant: occasione primae communionis solemnis omnes ad communionem rite accedentes; occasione confirmationis soli confirmati; Vi novae facultatis indulgentiam acquirere possunt tum occasione distributionis primae communionis solemnis tum occasione confirmationis *omnes praesentes*: ipsi primi communicantes, confirmati sed etiam consanguinei et alii: non requiritur ut ipsi hac *occasione* communionem recipiant: sola praesentia sufficit et « *servatis consuetis conditionibus* »: i. e. confessio et communio ad normam canonis 931, preces ad mentem Romani Pontificis.

45. - (Form. maior n. 35) *De indulgentia pro haereticis conversis.*

Facultas non est mutata. Quia etiam schismatici considerantur haeretici, post conversionem hanc indulgentiam acquirere possunt.

46. - (Form. maior n. 36) *De indulgentia pro clericis et religiosis exercitia spiritualia peragentibus.*

Facultas extensa est: indulgentia concedi potest non tantum clericis sed etiam « *religiosis utriusque sexus* ». In antiqua facultate dicebatur: « *qui per quinque saltem dies* », in nova facultate dicitur: « *qui per tres saltem integros dies* ». Quod videtur esse idem; primo die Exercitia incipiunt vespere deinde *per tres integros dies* peraguntur et die quinto mane concluduntur. (Cfr. Vromant, o. c. p. 103).

47. - (Form. maior n. 37) *De benedictione Apostolica occasione Missionum etc.*

Facultas non est mutata. Formula vero benedictionis pluries mutata est; nunc adhibenda est formula, quae invenitur in Rituali Romano Tit. IX Cap. X n. 2: FORMULA BENEDICTIONIS PAPALIS *cum Indulgentia plenaria in fine concionum*: « Fiat unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula: « Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii, ✠ et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper. Amen ».

48. - (Form. maior n. 38) *De indulgentia plenaria occasione visitationis.*

Facultas non est mutata.

49. - (Form. maior n. 39) *De confessione requisita ad indulgentias plenarias.*

Omissa sunt verba: etsi « *ob legitimum impedimentum* » semel in mense ad poenitentiae sacramentum accesserint ». Antiqua facultas requirebat igitur impedimentum pro singulis fidelibus: vi novae facultatis Ordinarius debet habere causam rationabilem ad concessionem faciendam, quae causa potest esse communis, vg. parvus numerus confessariorum; semel facta concessione ab Ordinario, omnes fideles ea uti possunt etsi pro ipsis personaliter impedimentum non adsit.

50. - (Nova).

Facultas haec complet facultatem praecedentem: Ordinarius loci concedere potest iis fidelibus, qui non possunt, seu qui nonnisi cum difficultate adire possunt confessarium, ut lucrari possint indulgentias quae requirunt confessionem et communionem sine confessione, et ut videtur, sine communio: haec facultas exigit ut difficultas adeundi confessarium adsit in singulis casibus.

Facilius haec difficultas aderit pro senibus et aegrotis quam pro sanis.

51. - (Form. maior n. 40). *De benedictione crucifixi cum indulgentia plenaria in periculo mortis.*

Facultas non est mutata.

52. - (Form. maior n. 41, Form. min. n. 40). *De indulgentiis Viae Crucis.*

Episcopi residentiales et etiam titulares (Vicarii Apostolici) habent facultatem erigendi stationes Viae Crucis et benedicendi crucifixos in ordine ad indulgentias Viae Crucis lucrandas ex ipso iure: can. 349 § 1 1° Coll. can. 239 § 1 6°. Haec potestas non est potestas « *ordinaria* » conceditur quidem a iure, sed etiam Episcopis titularibus, qui officium non habent, ideo nequit delegari. Insuper dubium moveri potest utrum erigere viam crucis et applicare indulgentias sint actus iurisdictionis voluntariae an potius potestatis ordinis.

Ordinarii loci, qui non sunt Episcopi hac in re de iure communi nullam habent facultatem: nova facultas est combinatio antiquae facultatis n. 41 ex Form. maiore et n. 40 ex form. minore: sic legenda videtur.

52. - « *Erigendi, si non est Episcopus vel concedendi, sive sit Episcopus sive non, sacerdotibus facultatem erigendi* » etc.

Antiqua facultas n. 40 ex form. min. Ordinariis, non episcopis concedebat facultatem erigendi stationes Viae crucis, quae facultas erat subdelegabilis.

Loco « *suis missionariis* » in nova facultate dicitur: « *sacerdotibus* » cfr. dicta sub n. 1.

Omissus est in nova facultate passus in quo exponitur quid ab infirmis requiratur ad obtinendam indulgentiam viae crucis: hic passus magis est explicatio facultatis et ideo quamvis suppressus vim suam retinet: dicebatur in Form maj. n. 40: « et applicandi easdem

indulgentias crucibus et crucifixis, pro infirmis aliisque legitime impeditis, dummodo iidem *ad normam Decretorum Urbis et Orbis diei 16 Septembris 1859 et Sacrae Poenitentiariae diei 14 Decembris 1917, 25 martii 1931, 20 Octobris 1931 et 12 Martii 1938, crucifixum ad hoc benedictum manutenentes recitent, saltem corde contrito cum pia recordatione Passionis Domini, viginti Pater, Ave et Gloria, unum nempe pro qualibet statione, quinque in memoriam sacrorum Vulnerum D. N. I. C. ac unum iuxta mentem Summi Pontificis; aut si agatur de infirmis, qui ob suae infirmitatis seu naturam seu gravitatem nec horum viginti Pater, Ave et Gloria recitationem absque gravi incommodo aut difficultate peragere valeant, crucifixum benedictum etc ...*

53. - (Form. maior n. 42) *De erectione confraternitatum.*

Facultas mutata non est.

54. - (Form. maior n. 43) *De adscriptione fidelium ad confraternitates.*

Prima verba facultatis sunt mutata: iam non dicitur: « *Subdelegandi suis missionariis* » sed « *Concedendi sacerdotibus* » Cfr. dicta sub n. 1. Ordinarius, qui est Episcopus ex iure communi (can. 349 § 1 1° coll. can 239 § 1 5°) habet facultatem benedicendi ubique, ritibus ab Ecclesia praescriptis scapularia a Sede Apostolica probata eaque imponendi, sine onere inscriptionis; hanc facultatem non possunt ex iure communi delegare, quia non adnectitur officio sed dignitati; possunt vero concedere eandem potestatem vi huius facultatis; Ordinarii, qui non sunt Episcopi non possunt imponere scapularia, in antiqua formula minori n. 43 explicite iis haec facultas dabatur, quae facultas erat subdelegabilis, in nova hac facultate ipsis datur explicite facultas « *concedendi sacerdotibus facultatem* [...] *benedicendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede*

Apostolica probata, eaque imponendi sine opere inscriptionis »; implicite ipsis datur facultas idem faciendi per se. (Cfr. Animadversiones II).

55. - (Form. maior n. 44) *De tempore horarum canonicarum.*

Facultas mutata non est.

56. - (Form. maior n. 45) *De dispensatione a divino officio.*

Loco « *suis missionariis* » dicitur « *sacerdotibus, diaconis et subdiaconis* » Cfr. dicta sub n. 1. - Omissa sunt in nova facultate verba « *de qua Ordinarii conscientia oneratur* », quae iam includuntur in verba « *ob legitimam gravemque rationem* » : Ordinarius enim iudicare debet utrum haec ratio legitima et gravis adsit. Non potest Ordinarius vi huius facultatis dispensare a Divino officio religiosos in sacris Ordinibus non constitutos, neque moniales. Hanc facultatem quidem habent legati sanctae Sedis.

« Commutandi ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque durante, obligationem recitandi horas canonicas in quotidianam recitationem integri rosarii B. M. V. vel aliarum piarum precum quae congruae sint, citra exemptionem a choro, quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur ».

57. - (Form. maior n. 46) *De vestibus laicalibus.*

Non dicitur « *suis missionariis* » uti antea sed « *clericis* », quae vox latius patet et nullum dubium relinquit de subiecto cui facultas concedi possit. Non fit sermo de religiosis laicis in facultate, quia pro ipsis obligatio deferendi habitum non est absoluta; dicit enim canon 596. — « Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate etiam localis ». Dispensatio ab Ordinario loci igi-

tur non est necessaria. Quidem necessaria est dispensatio ab Ordinario loci ut religiosus clericus possit induere *vestes laicales,* quia superior religiosus non potest dispensare a canone 136 § 1, qui omnibus clericis praescribit habitum ecclesiasticum.

58. - (Form. maior n. 47) *De arte medica exercenda.*

Loco « *suis missionariis* » dicitur in nova facultate « *clericis et religiosis* »; quae verba sunt clariora. Ceteroquin Auctores, qui interpretabantur antiquam facultatem eam iam extendebant etiam ad religiosos imo etiam ad sodales societatum sine votis, qui tenentur communibus clericorum obligationibus et igitur sine indulto apostolico artem medicam exercere non possunt. Non est ratio supponendi Sacram Congregationem voluisse limitare facultatem ad solos religiosos sensu proprio, quare censemus facultatem adhuc prodesse sodalibus institutorum sine votis, etiam laicis.

In fine facultatis pauca quaedam mutata sunt: in antiqua facultate dicebatur: « *dummodo* [...] *in curandis infirmis alterius sexus omnia quae religiosum et sacerdotem dedecent, vel scandalo esse possint diligenter vitent* ». In nova facultate omissa sunt verba « *alterius sexus* », quia etiam in curandis infirmis eiusdem sexus omnia vitanda sunt quae « *dedecent clericum aut religiosum* » uti dicitur in nova facultate. Mutata sunt quoque ultima verba: non iam dicitur « *easque artes omnino gratis exerceant* » sed « *atque pro ipso exercitio artis suae nihil accipiant* ». Hoc modo clarius adhuc indicatur non esse prohibitum missionariis petere pretium pro medicinis ipsis, pro obligamentis etc.

59. - (Form. maior n. 48) *De dispensatione a praecepto festivo.*

Vi antiquae facultatis Ordinarius poterat tantum dispensare « *cum catholicis pauperioribus* », in nova facultate dicitur: « *cum catholicis* », quia etiam pro catholicis non pauperibus causae iustae adesse possunt. Cete-

roquin facultas non est mutata, quia iuxta mentem antiquorum Auctorem soli pauperes operibus servilibus incumbunt.

60. - (Nova) *De translatione solemnitatis liturgicae festorum.*

Ex iure communi Ordinarius loci potest transferre externam solemnitatem ad dominicam proxime sequentem festorum patronorum. Insuper transferri possunt festa quaedam, quae antea die dominica celebrabantur: Sanctissimi Nominis Iesu, Septem dolorum B. M. V., Sanctissimi Cordis, Pretiosissimi Sanguinis, Sancti Ioachim, Sanctissimi Nominis Mariae et Sancti Rosarii. In facultate conceditur potestas transferendi festa feriata pro universali ecclesia, quae tamen in loco ex indulto sunt suppressa.

61. - (Nova) *De Rogationibus.*

In Congressu de Liturgia in Missionibus approbatum fuit votum n. 5 « Desideranda videtur facultas transferendi quasdam celebrationes liturgicas, eg. Rogationes, in dies, quae secundum adiuncta localia Episcopo aptiores videntur ». Facultas haec n. 61 videtur huic voto plene satisfacere. Censemus in facultate concedi licentiam non tantum transferendi processionem sed etiam Missam de Rogationibus, quia pro translatio processionis solius facultas non esset necessaria: potest enim Ordinarius loci iubere aliis diebus processiones extraordinarias « ad petendam pluviam », « ad postulandam serenitatem », « ad repellendam tempestatem », etc., quae processiones vix differunt a processionibus in Rogationibus.

62. - (Form. maior n. 49) *De libris prohibitis.*

Facultas non est mutata.

C) Pro ipso Ordinario

(*excepto Vicario generali et Delegato*)

In antiquis facultatibus verba inter parentheses « *excepto Vicario Generali et Delegato* » deerant; tamen Auctores iam docebant facultates sub hoc titulo enumeratas obtingere soli Episcopo residentiali, Vicario aut Praefecto Apostolico; non Vicario Generali aut Delegato imo neque Vicario Capitulari, Provicario aut seniori, qui sede vacante regimen assumit. Circa nonnullas vero facultates dubia aderant, de quibus infra.

63. - (Prima pars: Form. maior n. 50) *De asservatione SSmi Sacramenti*).

(Secunda Pars: Form. minor n. 50) *De indulto altaris privilegiati.*

Facultas asservandi Sanctissimum Sacramentum in sacello domus stabilis residentiae in antiqua facultate concedebatur tantum Ordinario charactere Episcopali insignito (in formula maiore) Nova facultas eandem facultatem concedit quoque Ordinario carenti charactere episcopali: praefecto Apostolico. Ab hac facultate explicite excluduntur Vicarius Generalis, Vicarius Delegatus; quid vero de Vicario capitulari, de Provicario, de seniore qui regimen missionis actu tenet? Videtur uti posse hac facultate: quia a) in titulo C) non explicite excluditur et b) iuxta can. 310 § 1 « Ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309 [...] § 2 Interium uti possunt omnibus facultatibus sive ordinariis ad normam can. 294, sive delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus pollebat, nisi commissae fuerint ob industriam personae ». Atqui facultas haec non committitur « ob industriam personae » committitur enim omnibus Ordinariis. Vromant o. c. p. 134 dicit: quoad facultatem 50 [asservandi Sanctissimum Sacramentum in sacello domus stabilis residentiae]: neque hanc Pro-

vicario aut Seniori obtingere opinamur; eamque reputamus dignitatis Episcopalis propriam: quod conicitur ex formula minore ubi facultas similis negatur superioribus missionum qui charactere episcopali non sunt insigniti. Argumentum vim suam amisit, quia nunc facultas quoque conceditur Ordinario qui non est Episcopus.

INDULTUM ALTARIS PRIVILEGIATI Episcopi habent ex iure communi: can. 349 § 1 1° coll. can. 239 § 1 10°. In facultate idem indultum conceditur quoque « *Ordinario, caractere episcopali carente* ». Propter rationes supra expositas facultas extendenda videtur ad Vicarium capitularem et Provicarium, praeterea conveniens est haec extensio, ut Vicarius capitularis aut Provicarius possit applicare Missam celebratam in altari privilegiato, quam ipse Episcopus aut Vicarius iam promisit.

64. - (Form. maior n. 51) *De lucrandis indulgentiis.*

Non constat utrum Ordinarius possit lucrari indulgentias quas ipse aliis concedere potest: quidem dicit canon 201 § 3 « Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non iudicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum », sed in canone 927 dicitur: « Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum *subditi* » etc. Ordinarius autem non est proprius *subditus*. Ad tollendum omne dubium et ne Ordinarius ipse indulgentiis privetur facultas explicite ipsi easdem indulgentias concedit. Non conceduntur Vicario Generali aut Vicario Delegato, qui eas accipere potest ab ipso Ordinario; quidem conceduntur, ut videtur, Vicario Capitulari aut Provicario, quia convenit ut hi non excludantur ab indulgentiis.

65. - (Form maior n. 53) *De usu throni etc.*

Facultas ipsa mutata non est: quia olim concedebatur tantum in formula maiore nunc addita sunt verba: « *Si sit Episcopus* ».

Certo haec facultas non datur Vicario capitulari, Codex Iuris Canonici in can. 435 § 2 Vicario Capitulari explicite denegat usum Throni cum baldachino; multo minus facultas datur Provicario aut seniori, etiamsi essent caractere episcopali insigniti, quia agitur de praerogativis, quae ex iure communi competunt tantum Episcopo residentiali: can. 349 § 2. 3° - Facultas ea concedit quoque Vicario Apostolico qui quidem est Episcopus titularis sed habet territorium.

« *quatenus haec a iure concessa non fuerint* »: Episcopi residentiales vi canonis 349 § 2 3° ius habent: Elevandi in omnibus ecclesiis suae diocesis thronum cum baldachino.

66. - (Nova) *De privilegiis Praefecti Apostolici.*

Facultas haec omnino nova non est: concedebatur in Formula minore anni 1940 sub n. 53. Anno vero 1947, die 15 aug. S. C. de P. F. dedit notificationem ad Ordinarios missionum hac facultate fruentes in qua dicebatur ex mandato Secretariae Status abolendum esse privilegium concessum in secunda parte facultatis n. 53 *Formulae minoris* proinde in textu delenda esse verba: « *etiam extra proprium territorium; praehabito, quoad Pontificalia, consensu ordinarii loci* »: in nova impressione formulae anni 1947 facultas tota suppressa est; in formula anni 1950 etiam non invenitur.

Facultas, quae nunc datur est partialis derogatio canonis 308 ubi Vicariis et Praefectis Apostolicis qui caractere episcopali careant dantur insignia et privilegia Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium; sed tantum durante munere et in proprio territorio: ultimam conditionem facultas derogat: « *etiam extra proprium territorium* ». Conceditur facultas: « *Praefectis Apostolicis* ».

Vicarii Apostolici nondum consecrati hac facultate non indigent, quia de facto omnes Vicarii Apostolici sunt saltem Episcopi « electi », et « Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis Episcopi sive

residentiales sive titulares: - 2° ius habent deferendi insignia pontificalia ad normam legum liturgicarum (can. 349 § 1 2°); et quidem ubique terrarum. (Cfr. quoque Ceremoniale Episcoporum Cap I).

67. - (Nova) *De paramentis pontifcalibus.*

Facultas specialis utilitatis erit in regionibus calidioribus, tamen etiam alibi « *rationabili de causa* » ea uti licet.

68. - (Nova) *De Missa solemni celebrata ab Episcopo.*

Iuxta normas liturgicas Episcopus potest celebrare Missam lectam sicuti ceteri sacerdotes, potest celebrare Missam praelatitiam, potest celebrare Missam pontificalem; in Missa Pontificali requiritur assistentia diaconi et subdiaconi et si Episcopus utitur throno, etiam duorum diaconorum ad thronum adsistentium. Non potest Episcopus celebrare Missam in cantu aut Missam solemnem cum adsistentia diaconi et subdiaconi, quod possunt ceteri sacerdotes.

Vi facultatis Episcopus in missionibus potest celebrare Missam solemnem, iuxta rubricas Missalis Romani, cum adsistentia Diaconi et Subdiaconi et collata facultate sub n. 10 data, etiam cum assistentia solius diaconi; insuper celebrare potest Missam in cantu. In multis missionibus haec facultas iam diu desiderabatur: saepe ministri sacri desunt, fere semper desunt ministri inferiores, bene instructi pro Missa Pontificali et non raro angustia presbyterii non admittit functiones Pontificales.

Dicitur tamen in facultate: « *cum impossibilis sit Missae pontificalis litatio* ». Facultas non intendit minuere numerum Missarum Pontificalium, sed quoties antea sola Missa lecta aut Missa praelatitia possibilis erat nunc permittitur Missa solemnis aut Missa in cantu.

ANIMADVERSIONES

I. - In antiquis facultatibus facultates subdelegabiles asterisco notabantur; in nova Formula subdelegabiles sunt tantum facultates, quae ita explicite notantur per verbum « *subdelegabilis* ».

II. - In antiqua Formula in n. 53, sub titulo « *Pro ipso Ordinario* » dabatur facultas « *Utendi ipse personaliter, in iisdem tamen adiunctis, facultatibus seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedere potest* ».

De hac facultate VROMANT o. c. p. 138 dicebat: « Quod ex can. 201 § 3 iam colligebatur, ad securitatem Ordinariorum, hac facultate disserte definitur ». Idem dicebat PAVENTI, o. c. p. 68: « Facultas est tantum explicativa iuris ». Si vero Facultas est explicativa iuris etiam Vicarius Generalis et Vicarius Delegatus ea uti possunt, quia can. 203 § 3 est omnino generalis et non intelligitur cur facultas ponatur sub titulo « PRO IPSO ORDINARIO ».

Ad tollendum omne dubium S. C. hanc facultatem ex facultatibus « PRO IPSO ORDINARIO » transtulit ad « ANIMADVERSIONES » et explicite addidit verba: « *inclusis Vicario Generali et Delegato* ». Unde in missionibus nunc *certo* Vicarius Generalis et Vicarius Delegatus in casu necessitatis conficere possunt oleum infirmorum, administrare Sacramentum Confirmationis, consecrare calices, patenas etc.

III. - Haec animadversio non est mutata.

IV. - Etiam haec animadversio non est mutata. Observandum tamen Sacram Congregationem non exspectare donec Ordinarius *petat* renovationem facultatem: omnibus Ordinariis missionum sponte mittuntur novae facultates; Imo, etiamsi quis Ordinarius non recepisset novam formulam tuta conscientia facultatibus novis uti potest; potestates concessae sunt omnibus Ordinariis ab ipsa S. C.; transmissio formulae non est nisi notificatio;

debet vero Ordinarius quidem petere renovationem facultatum particularium si quas habet: de his facultatibus in fine dicitur: « N. B. Cetera rescripta concessa usque ad expirationem facultatum generalium debent remitti ad S. C. de Propaganda Fide pro renovatione ». His facultatibus particularibus applicanda videntur, quae sub IV de facultatibus generalibus dicuntur: « *Insuper datis ab Ordinario precibus pro renovatione earundum facultatum, ipsae in suo robore perseverare censeantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit* ».

In fine liceat nobis proponere Animadversionem aliquam, privata auctoritate et debita cum modestia; Optandum ut S. C. de P. F. facultates, quas concedit Ordinariis missionum concedere dignetur directe ipsis missionariis, pro casibus in quibus recursus ad Ordinarium aut communicatio cum ipso sint impossibiles; multae enim missiones nostro tempore persecutionibus devastantur, plures Ordinarii sunt in carcere, aliis in regionibus intrusi regunt ecclesiam: miseri sacerdotes in his regionibus nesciunt ad quos dirigere debent preces ad obtinendas facultates necessarias, magis necessarias praesertim in illis difficilibus conditionibus.

L. Buijs S. I.

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

DECLARATIO

(AAS. LI [10-17 dec. 1959] p. 920)

Cum dubium ortum sit utrum studiorum Universitas Clero saeculari vel Familiae Religiosae concredita, a Sacra Congregatione de Seminariis et studiorum Universitatibus dependeat, etsi canonicam erectionem consecuta

non sit, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit: *Affirmative,* quatenus Universitas de qua agitur Clero saeculari vel Familiae Religiosae quomodocumque obnoxia sit.

SS.mus D. N. Ioannes Div. Prov. Pp. XXIII, in Audientia d. XVI m. Novembris a. D. MCMLIX Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus concessa, supra relatum responsum eiusdem Sacrae Congregationis approbare ratumque habere dignatus est ac publici iuris fieri iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis, die XVII m. Novembris a. D. MCMLIX.

✠ I. Card. PIZZARDO, Ep. Albanen., *Praefectus*

L. ✠ S.

Dinus Staffa, *a Secretis*